Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nathan Chyträus

Fastorvm Ecclesiae Christianae Liber E Dvodecim, Primvs

1 : Ianvarivs

Lipsiae: Andreas Schneider, 1573

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72985132X

Band (Druck) Freier Zugang


BENEDIC ANIMA MEA
DOMINVM, ET NE OBLI
VISCARIS OMNIVM BE
NEFICIORVM EIVS. SI
CVT MISERETVR PAT
SVPER FILIOS, MISER
ETVR DOMINVS SV
PER TIMENTES SE.
PSALMO CIII.
DE FONTIBVS ISRAEL, P
BENEDICITE DEO DOMINO
IN DOMINO LAVDABIT SE ANIMA MEA

F. m – 3349.
<R>

Illustrissimo Principi et
Domino Dn. Johanni Al-
berto Duci Megapolensi &
domino suo clementissimo.

Nathan Chytræus.
Submissa compellatione.

FASTORVM
ECCLESIAE CHRISTIANAE LIBER E DVODECIM, PRIMVS.

IANVARIVS.

AVCTORE

Nathane Chytræo.



LIPSIAE

CVM PRIVILEGIO.

Fm -3349

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn72985132X/phys_0010

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS NATHANI CHYTRAEO AMICO SINGVLARI.

Fuluius ad nostros, nec venit Cingius aures,
Restat & Albini cum Labeone nihil.
Tempora Romanos qui digessere per annos,
Scripta olim Latio nobilitata sono.
Non totus legitur facundis Naso libellis:
Inuida sic obstant tempora temporibus.
Occidit & patrijs in montib. optimus Hes-
Stigelijq́, pij Musa sepulta iacet: (sus,
Condere qui nostro cœperunt tempore Fastos
Ingenij præstans nobilioris opus.
Perge igitur Nathan, non parua exẽpla secu
Extremãq́, libris dulcib. adde manũ. (te,
Possimus numerare dies, numerare labores
Doctorũ, & summo festa sacrata Deo.
Cernere gesta Ducũ, mutataq́, regna notare:
Sint vt in humanis omnia fluxa bonis,
Excepta pietate tamen: quæ sola superstes
Præmia habet cœlis præmia sentit humo.
Interea facilis currant tibi stamina vitæ,
Duret & ingenij iudicijq́, vigor.

Vt tibi Libaniæ præcingant tempora Cedri,
Raptaq; Sionijs ſerta decora iugis.

Anno à nato Chriſto. M. D. LXVII.
M. Auguſto. D. XII.

VIRO

VIRO DOCTISSIMO
NATHANI CHYTRAEO
SPONSO.
GEORGIVS FABRICIVS
CHEMNICENSIS.

TVum rigorem flectere
Nec Belgicæ nec Gallicæ
Potuere formæ, & quas habent
Vrbs Hadriæ, atq; Tibridis.
Vicit Nathan te Saxonis
Puella: moribus, fide,
Pudore, temperantia,
Nitore tota amabilis.
Hæc digna scilicet tuis
FASTIS politis & sacris,
Tinxere quîs Horæ manus,
Manus decentes Gratiæ.
Non his pares Massurius,
Non Cingius, non Fuluius
Scripsere, quondam Romuli
In vrbe magna nobiles.
Sis sponse felix, cum nouis
Qui prisca confers tempora,
Qui bella, paces, & viros,
Inuenta, & artes prædicas.
Sis sponsa felix, quæ bono

Viro, poëtæ nobili,
Vna domo, vno pectore,
Vnoq; latere iungeris.
Qui te, & sororis coniugem
Clarum, pium, doctum virum,
Gentemq; totam dulcibus
Potens sonare cantibus.
Qui nunc ocellus Balthici
Freti, velut solem Hesperus,
Fratrem secutus, nominis
Famam decusq; duplicat.
O splendidum connubium,
In quo marita sedula
Prudensq;, sedulo viro
Et erudito traditur.
Huic culta mens ad publica
Curanda, & huic vis ingeni
Domum gubernandi: ô bonæ
O auspicatæ nuptiæ.

Anno M. D. LXVIII. Mense Decembri.

FASTO-

FASTORVM ECCLESIAE CHRISTIANAE LIBER E DVODECIM PRIMVS.

IANVARIVS.

CHRISTO SERVATORI SACER.

QVi cœli proceres, totũ quæ festa per annum,
Quæ sint nobilium præclara euenta dierum,
Sidera quæ vario discrimina temporis ortu
Occasuq́, notent, stirpesq́, inscribere regum
Incipio veneranda tuis Ecclesia fastis.
Tu socius, tu dux operis, tua gloria cuius
Vnica meta fuit, nostros ne sperne labores
Optime Christe, meis decus & spes vnica rebus.
Nam sine te, tibi quod placeat, quis dicere tentet?
Per duodena means, annum, sol aureus, astra,
Quod notat, & certa distinguit tempora lege,
Munus id omne tuum est, magnum tua dextera cœlũ
Condidit, & vasti conseruat sidera mundi:
Tu lunæ incertos, certo sed tempore, vultus
Circumagis: nitidum tua magna potentia solem
Ducit ad hibernos æstiuo à limite flexus.
A te principium venturi ducimus anni:
Te duce, curriculo exacto, tibi desinet idem:
Nil desperandum tanto duce, principe tanto.

B. Mantuanus. *Ante quidem hoc ipsum Carmeli gloria vates*
Est aggressus opus; celebri quem Mantua laude
Prosequitur, magnoq; parem putat esse Maroni,
Quod tituli, quod marmoreus testabitur arcus,
Benaci medias qua scindit Mincius vndas.
Cuius ego eximiæ nil prorsus derogo famæ,
Cæca superstitio nisi quid modo deroget illi.

Io. Stigelius. *Est agressus idem, atq; vtinam contingere finem*
Optatum, optato potuisset sidere, tanto
Par operi, impletusq; animum cœlestibus auris
Stigelius, magnos inter laus magna poëtas,
Tam diuina olim diti qui è pectore fudit.
Ast aliud Christo visum, qui principe vatum
Noluit æthereæ proceres fraudare coronæ
In terra superis esset qui digna locutus.
Nunc apis instar ego magni vestigia cygni
Non bene trita quidem & salebris terrentia sector:
Sum tamen illorum monitis parere coactus,
Hactenus auxilijs quorum feliciter vtor,
Debeo queis vitam, & si quæ sint commoda vitæ
Omnia, meq; adeo totum: parere quis illis
Deneget, officij qui mutua fœdera norit?
Obstrictamq; fidem? post alta silentia cygni
Luscinijq; obitus, si quid moduletur acanthis
Da veniam placidasq; pijs concentibus aures.
At tu quem socium scribendis versibus opto
Christe mei vigor ingenij rectorq; laborum,
Da mihi Sionijs plenos è fontibus haustus:
Da vitam, & sanam robusto in corpore mentem:

Da pa-

Da pacem, quis enim tristi te tempore belli
Lato animo celebrare queat, laudesq; tuorum?
Da vires, vastumq; viam tenuisse per æquor,
Distanteſq; procul tandem contingere portus:
Nunc quoq; quæ ratio, fixi qui terminus anni: ANNVS
Cur ita dispositis procedant tempora metis:
ANNVS *& incipiat cur ipso in frigore brumæ*
Suggere, namq; potes: faustis sic cursibus ille
Finito pariter cum carmine, lætus abibit.
Hæc ego: mox puris perfundens omnia flammis
Lux oritur, recreatq; nouo mihi corda calore,
Propositumq; iubet sic continuare laborem.
Admiranda DEI *totum sapientia mundum*
Condidit, & fixa naturam lege tuetur,
Vt monumenta simul bonitatis maxima quiuis
Conspiceret, meritoq; DEVM celebraret honore.
Hinc cœlum terramq; vides, pontumq; profundum, SOL.
Hinc etiam solem, de quo sua cornua Phœbe
Implet, & immenso fulgentia sidera cœlo
Non aliud quam solis habent, de lumine lumen.
Ille vbi depulsis ex æthere nubibus orbem
Aspicit, infuso nascentia cuncta vigore
Recreat, & toto quæ viuunt vndiq; mundo:
Non secus vt sol iusticiæ, ter maxime Christe,
Nobile terreno fulges ceu sidus in orbe,
Participesq; tuæ lucis, vitæq; beatæ
Nos quoq;, dum misera mundi regione vagamur
Efficis, & cœli, post mortem, lumine donas.
Sed tu Phœbe parens, ampli lux aurea mundi es,

Mun-

Mundi oculus, per quem cœli conuexa tuemur,
Discussis tenebris, tu certa errantia lege
Sidera, rex medius, mira ratione gubernas:
Nunc illa occultans radijs, mox rursus in oras
AEtheris educens: tristis tu nubila cœli
Humaniq; animi tenebras nubemq; serenis
Illustras radijs, & viuo lumine comples.
Tu lucis noctisq; vices, tu frigus & æstum,
Ordine tu certo, dux temporis, omnia miti
Temperie, motusq; regis moderamine certo.
Signifer bissena tuo per sidera motu
Quando redis, plenum finiri nouimus annum.
Illius è multis exacta partibus vna;
Constituis mensem: Eoas cum deseris vndas,
Hesperiasq; subis, totum circum vagus orbem;
Lucem operi gratam præbes, noctemq; quieti.
Omnia quæ certis ideo discriminat horis
Ipse DEVS, *fixaq; eadem sic lege tuetur;*
Vt mundi hoc cernens magnum & versatile templū,
Et vigiles mundi solem lunamq;, perenni
Lustrantes pontum & terram glomeramine circum;
Luna tamen mense vt spacium videatur obire;
Annua sol in quo consumit tempora: vt inquam,
Sciret homo, certa ratione atq; ordine certo
Cuncta geri, rectore DEO, *iustoq; bonoq;,*
Qui velit vt constans sit rebus in omnibus ordo:
Ardentiq; suos nos complectatur amore.
Nec minus hinc videat, quando se ostenderit orbi:
Quamq; diu steterint fabricati corpora mundi:

Edita

Edita quo rigidæ dictamina saxea legis:
Quo sit promissus, quo natus tempore CHRISTVS:
Et quando veteris mundi compage soluta
Expectanda pijs veræ sint gaudia vitæ.
Nam nisi sol & luna suis discursibus, anni
Et lucis noctisq́; vices discrimine certo
Efficerent: heu quæ tenebræ, confusio qualis,
Quantaque barbaries immensum euerteret orbem?
Non iam principium mundi, non facta parentum,
Regnorum historiæ nullæ, regumq́; priorum,
Nulla vetustatis monumenta relicta manerent.
In pactis quoque nulla fides, reuerentia iuris
Nulla foret, mundi subito decus omne iaceret.
Ergo creatori meritas hoc nomine grates
Dic iuuenis, dic cane senex, dic quisquis in orbe
Viuis, & astrorum studium cursusq́; perennes
Lætus ama, scrutare libens, prænosce futuram
Hinc patriam, patrisq́; domum, sedesq́; piorum.
Cernis vt abiecto pronoq́; animalia vultu
Cætera, ventris opes, tantummodo pascua curent:
Ast oculos tibi sublimes, sanctissimus ille
Conditor, ingeniumq́; dedit, mentisq́; sagacis
Iudicium, cœli vt motus, ante omnia lustres.
Hic quod sit DEVS, *& qualis, quantusq́; videbis:*
Hæc tibi venturæ præmonstrant gaudia vitæ.
Non oculis, non vultu hominis, non nomine tanto
Dignus es, abiecto cœlum qui despicis ore.
Non hæc primus ADAM *væsano pectore spreuit*
Sed vigil obseruans ortus obituq́; perennes,

Adã studiosus astrorum.

Arte

Arte vices Phœbi quibus in ſtata ſigna rediret
ANNVS Ebræorũ. *Diſpoſuit, dubiuſq; foret ne terminus anni,*
Huic ſexaginta, tercentum & quinq; dierum
Conſtituit ſpacium; ſolidi quadrante diei
Adiuncto: hinc totum biſſenis menſibus annum
Diſtinxit, totidem quos interlunia complent.
Aſt ea cum tantum nouies ſex atq; trecentas
Efficerent luces: iam menſtrua tempora ſoli
Rite coæquare, & conformia reddere tentans,
Noctes atque dies vndenas inſuper addit
Curriculo vaga luna tuo: ſed quarta diei
Debita pars Phœbo ſuperat: quas colligit horas
Et lucem quarto biſſextam interſerit anno.
Diſtribuiſſe olim primos ſic tempora patres,
Teſtatur ſacer interpres, præcoq; Tonantis,
Hic vbi Lamechidis caſus & fata recenſet.
ANNVS Romanus. *Non annum veteres ſic diſpoſuere Quirites,*
Libera tum lonis & inobſeruata meabant
Sidera: qui ſolis vellet Lunæq; meatus
Diſcere, nullus erat; parmas & ſpicula Martis,
Præ libris radioq; ſibi decus eſſe putabant;
Strenuus & ſummam bellator nouerat artem.
Numa. *Donec Pompilius ſtellarum & pacis amator,*
Huic primus curæ incubuit, populoq; feroci
Diſpoſuit faſtos; menſeſq; prioribus annis
Adiecit geminos. ſed adhuc incongrua ferri
Plurima conſtabat: nec priſci forma Methonis,
Quin Eudoxi etiam non octoeteris vbiq;
Iulius Cæſar. *Apta videbatur: certa quas Iulius arte,*

Compo-

Compoſuit turbas medius, liteſq; diremit.
Scilicet in bellis, etiam inter prælia ſæpe
(Hoc opus eſſe ſciens diuino principe dignum.)
Curſibus aſtrorum, & ſignis cœloq; vacarat.
Illius hinc oculis lux tanta affulſit, vt ipſe
Obſeruans prius in varijs regionibus anni
Quæ ratio metæq; forent, atque omnia luſtrans,
Commodiore dies, menſes, annoſq; per orbem
Digereret ſerie, vitæ ciuilis in vſum.
Namq; olim Latio, Graioq; & gentis Ebrææ
Luna ſilens menſi finem ſtatuebat & ortum:
Vigintiq; nouem, iuncto ſemiſſe, diebus
Integer ille fuit: quo Cæſar ſponte relicto,
Signiferi ſimul aſpiciens percurrere partes
Momentis ſolem imparibus; quos diuidit ille
Hos etiam menſes reiecit, & annua tantum
Summatim aſpiciens Phœbei tempora motus:
Illa in biſſenos, numero tamen impare, menſes
Diſtribuit, feſta vt populi, moreſq; ferebant.
Primus & à Iano dictus bifronte, ſecundum
Februa, feruenti ſeu de ſale mica notabat:
Tertius à Marte eſt, ſed aperto à tempore quartus,
A Maia & Iunone duo qui deinde ſequuntur,
Nomina fixa tenent: Quintilis, ſeptimus olim
Dictus erat, dux annorum cum Martius eſſet:
Hunc ſibi natalem, proprio de nomine dicit
Iulius AEneades, melioris conditor anni,
Vt facti monumenta ſui diuturna manerent.
Sextilem, Auguſti populus conceſſit honori:

Annus Iulij Cæſaris.

Nomina menſium.

A numeris, Martemq; quota ſtatione ſequuntur,
Inuitis, reliqui tenuerunt nomina, binis
Cæſaribus, retinentq; eadem venientibus annis.
Ex illis aliquot, ter denas claudere luces
Queis vnam annumerent reliqui; menſemq; ſecũdum
Octo & viginti ſeſe complere diebus,
Quis puer ignorat? niſi pro quadrante relicto
Vna dies ſexto Martis ſeſe ante calendas
Ingerat, vt mos eſt, elapſis quatuor annis.

Soſigenes. *Temporis hæc ratio, vt ſimplex, ſic maxime Cæſar*
Optima viſa tibi, totumq; eſt ſparſa per orbem
Soſigenis quoq; conſilijs, operaq; fideli.
Quem cum Niliacas eſſet prognatus ad vndas,
Naturæq; vices & cœli arcana teneret:
Credibile eſt etiam Ioſephi à morte relictis
Faſtorum tabulis adutum, gentis Ebrææ
Tum noua, Romuleum ſparſiſſe inuenta per orbem,
Nunc etiam grati noſtro quibus vtimur æuo.

Exordia annorum diuerſa. *Sed tamen annorum diuerſa exordia paſſim*
Pro ratione loci populorum & more feruntur.
Anni principium duxit Iudæa propago,
Frigore cum pulſo genialia tempora veris
Appulerant, luciq; dies æqualis abibat.
Scilicet hoc anni formoſo tempore, quondam
Deſierant horrere minas, Pharijq; Tyranni
Imperium patres: & tempore Chriſtus eodem
Pro mundi paſſurus erat mala multa ſalute.
Venerat Autumnus preſis cum ſordibus vuis,
Euacuando cados, repletaq; pocula muſto,

Gens

Gens Asiæ faciles iactans ad carmina dextras,
Et te Bache vocans, anni primordia duxit.
Venerat æstiui cum summa ad brachia Cancri
Phœbus, & albentem tellus monstrabat aristam,
Tunc anni est nouitas genti celebrata Pelasgæ,
Et tulit insignem, qui vicit Olympia, palmam.
Cum lux prima noui veterisq; nouissima solis
Bruma oritur; Latijs nouus incipit annus in oris, Bruma Christianis annum incipit, & quare.
Incipit & cunctis Christi de nomine nomen
Qui retinent, sacroq; olim sunt flumine loti.
Hæc illa est octaua dies Iani ante calendas
Qua sese hibernis in partibus AEgocerotis
Sol mouet, angustasq; prius extendere luces
Incipit, æstiui meditans attingere flexum
Solstitij, paulatim ima de sede reuertens.
Hac DEVS *in castæ delapsus virginis aluum*
Editus est, nostræq; dedit primordia vitæ.
Anni igitur faustumq; simul tu carminis esto Natalis Christi.
Principium, venerande puer, qui dulce salutis
Auspicium, natus nobis, hac luce fuisti.
Pergite felici, mea carmina, pergite cursu,
Optatis hic principijs atq; omine saluo
Christus adest, læto venienti applaudite cantu.
Nam velut, hibernæ veniunt cum tempora Brumæ,
Longius à terris sol decessisse videtur,
Vicinis illi radijs tum proximus astans:
Sic Sol iusticiæ, nunc coniunctissimus orbi
Christus adest, puer egrediens è virginis aluo.
Sæpe idem fert mitis opem mortalibus ægris,

Iam dudum penitus cum deseruisse putatur
Ille suos, duris miseri cum casibus acti
Iam desperarunt, nec erat spes vlla salutis.
Christe decus patris æterni, tu nascéris orbi
Filius hic hominis, cœlesti vt postmodo patri
Natus adopter ego: ventis tibi peruia tectum
Dant stabula: vt magni pateat mihi regia cœli.
Pauper inopsq; iaces: aliena in sede vagaris:
Vt mihi diuitiæ, mihi patria vera paretur.
Tu veluti seruus contemneris omnibus vnus:
Vnde mihi imperium libertasq; aurea parta est.
Tu puer afflictus, mortales induis artus:
Vt mihi perpetuæ donentur gaudia vitæ.
Blande puer, diuine puer, dulcissime IESV,
Quis te tantus amor nostri, quæ causa coëgit?
Vt mala pro nostra patereris tanta salute?
Scilicet & bonitas, amor, & miseratio tantum
Hoc potuit: cum solus homo nec vincere victus
Nec pœna aut merito vinclis se exsoluere posset:
Nec soli spes vlla foret portusq; relictus:
Te medio, te pro nobis orante parentem,
Facta est temperies miro pulcherrima nexo,
Qua bonitas, iustiq; simul lex iusta tonantis
Arcanis coiere modis, & fœdere facto,
Naturas in te geminas miranda ligauit
Vnio, quæ nostro plane immemorabilis ore,
Humano superat conceptos pectore sensus.
Tu Deus æterni soboles æterna parentis
Cuius habet nullos immensa potentia fines,

Qua

Qua fragilem ratione tibi coniungere maſſam,
Virgineaq; tegi potuiſti maximus aluo.
O magni vis magna Dei, vis ardua mentis
Supra aciem noſtræ: tũne immortalis, & exors
Triſtitiæ caſuſq; omnis, contraria iungis
Membra tibi, morti, duriſq; obnoxia fatis,
Vnus in ambobus verus Deus, atque homo verus?
Namq; hominis veluti criſtallinus humor ocellis
Purus ineſt, cui perpetuo coniungitur ardens
Flammula, quam nunquam lædit contrarius humor,
Qui ſimul à rutilo nunquam conſumitur igni:
Sic etiam tibi noſtra caro coniuncta fouetur,
Nexibus æternis; vt nec mortalia virtus
Numinis abſumat: nec cum cœleſtibus ægrè
Terrea iam coëant, ſine te quæ nulla fuiſſent.
Te ſine victus homo, mutiq; cadaueris inſtar
Nil præter peccare poteſt, orcumq; ſubire;
Sed ſimul aſſociata tibi mea membra fuerunt,
Iam virtus diuina illis coniuncta, cadentem
Erigit; illa hoſtes dextra victrice repellens,
Imperat æternam miſeris ſperare ſalutem.
Ecce reuiuiſcunt gelido mea pectora ſaxo
Frigidiora prius, corpuſq; exultat in ipſo
Naturæ autore & ſocio, qui liber ab omni
Crimine, mortalem deleuit ſanguine culpam.
Hinc mihi parta quies, vitæ ſpes certa perennis
Hinc oritur. diuina dies, atque aurea ſalue:
Hac ego, dum Ianum reliqui vetereſq; Calendas
Obſeruant, cur venturum non ordiar annum?

Hac cum prima meæ ſpes affulgere ſaluti
Cæperit, & nobis cœli ſeſe atria pandant.

Conſtitutio cœli Roſtochienſis.

Sed quia de ſtellis vt quæq; oriturq; caditq;
Dicere conſtitui: paucis prius accipe verbis,
Qui polus & cœli hic ratio: ne ſcindere cogar
Poſt operis ſeriem, cæptoſq; inhibere labores.
Et quia res negat ornari, contenta doceri,
AEquus eris, niſi ſis mihi tritæ ignarus arenæ.
A blandis vrbs dicta Roſis, qua Balthica ſpectat
AEquora, finitimos à ſe diſcernere Danos,
Varnus & Aonias ſpirans vbi cygnifer vndas
Accipit hoſpitio Charites, noſtrasq; Camœnas;
(Aſpice ſi dubites;) multo ſublimior extat
Mundus, ad Arctoas ſeq; erigit arduus axes.
Hinc vertex nobis ſemper ſublimis, ab imo
Finitoris, abeſt nouies ſex partibus, orbe.
Circulus atque ideo gelidam qui ſpectat ad Arcton,
Quemq; ſuo ad Boream flexu deſcribit horizon,
Occiduo multas defendit ab æquore ſtellas.
Signa propinqua, duas plauſtris lucentibus, Vrſas
Aſpicis, heſperium non ingredientia pontum.
Sidonijs, prior ex illis, Cynoſura petita eſt
Nauigijs, Helicen Graiorum vela notarunt:
Poſt lapis eſt niger Idæis in montibus ortus,
Cognatum Boreæ veteres Magneta vocabant.
Plena metalliferis quem nunc Germania venis
Effectu meliore fodit; nam fiſſile ferrum
Ille trahit, gelidaſq; notat, vi cuſpidis, Arctos,
Quo duce pro geminis vtens felicius Vrſis

Nau-

Nauta etiam pluuio recte secat æquora cœlo.
Has inter, flexu sinuoso voluitur, ingens
Hesperidum, custos horti, Draco: postmodo Cepheus
AEthyopum Rex illustris, cum coniuge chara
Cassiope, diraq; gener, cum Gorgone Perseus;
Quam vix subiectis immunem seruat ab vndis,
Subsequitur; comes est illi Vulcania proles
Fœdus Erichthonius, currus & quatuor ausus
Iungere primus equos: liquidas hic crura sub vndas
Vipereo caudata modo demittit: at expers
Os humeroq; maris tollit, siccamq; tuetur,
Sit licet hædorum sidus pluuiale, capellam.
Inde Lycaoniæ custos & filius Vrsæ
Arcas adest, capitisq; comas, lentusq; sinistram
Erigit, & nunquam vitreis hic proluit vndis.
Arcturum pigri stringentem crura Bootis
Maiori nunquam spacio demergit horizon,
Quàm Phœbum, calidi subeuntem brachia Cancri.
Soleq; Phryxæi cum velleris astra calescunt,
Conspicuus rursum primo se vespere tollit.
Gnosia stringit aquas fulgenti luce corona,
Et barbam vultumque licet Tirynthius abdat;
Igniuomi tamen ille pedes quibus ora Draconis
Conterit, extantes curue distorquet & arctat.
Hinc lyra qua syluas olim Rhodopeius Orpheus
Traxit, & ala subit niuei non plumea cygni.
Cui prope coniuncta est diris religata cathenis
Andromede, soluens maternæ crimina linguæ,
Quando Palestino, Ioppes, ad littora, Ceto

Expoſita eſt quondam; nitidis iam fulgida ſtellis
Cærulea caput abdit aqua, dextræq́ cathenam
Exerit, & ſaluam rapidis à fluctibus arcet.
Hæc mihi de ſtellis nunquam ſubeuntibus æquor
Dicta ſemel, totum poſthac retinenda per annum
Sufficiant. nam quo mundi polus altior extat;
Hoc quoque plura manent tota fulgentia nocte
Sidera. Lux etiam, curua cum forcipe Cancrum
Phœbus adit, multo noſtris eſt longior oris,
Sed multo pars illa minor, quæ ſeparat ortus
Phœbi, occaſuſq́ locum: quod monſtrat horizon.
Nam nouies cum quinq́ gradus æquator ab ortu
Solis in æſtiua diſtet ſtatione: ſed ipſa
In bruma tantum decies quater: aſpice cœlum
Tempore ſolſtitij calido, clareq́ videbis,
Ortus ab occaſu quod vix quadrante remotus,
Et finitorem mediæ quod tempore noctis
Sol tribus & decima vix orbis parte relinquat.

IANVS. *His age ſed miſsis, potius tua nomina Iane*
Aggrediar, quæ non ideo quod ianitor anni
Aut Chaos antiquum fueris, tibi tradita credo:
Quin Moſis ſacros de te ſi conſulo libros,
Sanguine Iapheti ſatus es, quem deinde poëtæ
Cernimus Iapetum vicinis dicere linguis.
Filius hic Nohæ perituro vixit in orbe,
Vixit & à pluuijs quando iam libera tellus,
Cœli iterum potuit lucem ſtellaſq́ tueri.
Hoc ſatus eſt Iauan, Ianum quem carmina dicunt,
Qui pater Italicæ gentis Græcæq́ putatur.

Is quia

Is quia diluuio patrem patruosq; priores,
AEqualesq; suos reparato norat in orbe;
Antiquis bifrons duplicato pingitur ore.
Quo mensis simul effigies, qui respicit annum
Præteritum, ducitque nouum: & sapientis imago
Exprimitur, qui quæ fuerint, venturaq; nouit.
Prima luce tibi saxo resecatur acuto Circumcisio.
Christe puer, teneræ suprema cuticula glandis
Et rubet innocuo tellus perfusa cruore,
Humanæ signum præbens illustre salutis.
Hic quoque dexter adest feliciq; omine Christus,
Annuet hic nostris finemq; laboribus addet.
Sancte puer, mellite puer, tua membra secari
Cur pateris, lacrymasq; gemens cũ sanguine fundis?
Scilicet austeri posthac ne regula Mosis
Nos premat, Ebræo minuens tibi corpora ritu
Vis cessaturæ parere per omnia legi:
Thariadæ simul ostendens te stirpe creatum,
Esse nouæ fontem vitæ, auctoremq; salutis.
Tu me corrupto & vitioso sanguine cretum,
Et meritum vario varias pro crimine pœnas
Respicis, & quas me plagas, quæ ferre decebat
Vulnera, tu proprio clemens in corpore perfers,
Innocuumq; tuo miserum me sanguine reddis.
Idq; salutiferi quoque nomen amabile IESV, NOMEN IESV.
Quod dedit æthereo genitrix mandante ministro,
Indicat, augustum super omnia nomina nomen,
Omne genu cui se flectit, quo regia sæui
Dæmonis, ipsi etiam cœli, mare, terra, tremiscunt,

Exultantq; pij: non toto nomen in orbe
Est aliud, cœli miseris quod spondeat arcem,
Nomen amabilius nullum. puer optime Iesu
Fama tui totum fac nominis impleat orbem,
Et duce te quoniam faustis nouus incipit annus
Auspicijs; largire noui quoq; munera cordis,
Vlceraq; & labem vitæ rescinde prioris,
Et tua venturi bonitas mala mitiget anni.
Sic populos gentemq; tuam pax alma reuiset,
Florebit pietas, turpis cessabit egestas,
Pestis & arma tuos procul hinc vertentur in hostes.
Sic pede quo cœpere mei quoque pergere fasti
Incipient, laudesque tuas ante omnia dicent.
Te duce speratas nauis sic tanget arenas,
Patronosque suos vates & carmen habebunt
Munificos. qualis cui seruijt vltima Thule
Daniaque & Cimbri nostrorum gloria regum
Christianus IIII. rex Daniæ moritur.
Rex fuit, à Christi qui nomine nomen adeptus
Conueniens, placide duo regna in pace regebat,
Iustitiæ & pietatis amans, & maximus æqui
Defensor, caruscq; suis, carissimus autem
Cœlicolis, summoq; Deo, quem pectore puro
Aetatis nostræ Achasides velut alter amabat,
Sollicitus veræ de relligionis honore,
Doctiloquisq; scholis, patriæ pater; anchora gentis
Arctoæ, qui decurso iam lumine vitæ,
Exacti cum fine anni, mortalia clausit
Tempora; principioq; noui, noua sæcula cœpit,
Aeternæ accipiens moriendo exordia vitæ.

Respici-

Epiphania.

Respicies lapsas Titan vbi proxime Nonas
Lux oritur, qua se trinus patefecit & vnus
De cœlo Deus omnipotens, sator vnicus orbis.
Testis Iordanes, cœlo carissimus amnis,
Testis Iohannes, vatum ter maximus vnus.
Scilicet immersus sacris dum tingitur vndis
Filius ipse Dei, late se pandere cœlum
Incipit, audriq; fragor: similisque columba
Spiritus ille sacer, supra caput astat, & alas
Aureolas, mitis diuino in vertice pandit:
Pluma illi rutilo lucens rubicunda pyropo,
Cæruleumque inter virides imitata smaragdos,
Ceruicem fulgore suo collumq; coronat.
Vox quoque siderei de cœlo audita parentis:
Iste meus, mea vis, in quo mea summa voluptas
Filius est, nihil hoc toto mihi carius orbe;
Hunc audite ducem, huic soli parete monenti,
Non alijs. ô vox patrio dignissima corde,
O memori retinenda animo. dux optimus ille est,
Quo sine nosse patrem nemo, conscendere cœlum
Nemo potest, solus patrias hic mitigat iras,
Hic solus veteres mihi conciliauit amores.
Hic dum se mergi patitur fluuialibus vndis
Consecrat ipse illas diuino corpore, vt omnes
Ceu medicis nos tingat aquis, crimenque parentum
Primorum, & veteris sordes expurget Adami.
Nunc quoq; saluifico pueri cum fonte lauamur,
Panditur ætherei nobis domus alta parentis,
Et natos nos esse suos Deus ipse fatetur.

Flumineas oculis equidem tantum aſpicis vndas:
Sed cœlo cognata fides, tua Chriſte tuetur
Vulnera, ſanguineasq́, manus, fuſumq́, cruorem.
Hæc ſunt quæ noſtras abſtergunt flumina ſordes,
Hæc mala ſuffocant ſceleratæ crimina vitæ.
Scilicet ipſe lauat proprio nos ſanguine Chriſtus,
Quiq́, prius ſacras immergebatur in vndas
Pollutus vitijs, & veri numinis hoſtis,
Iam verbi virtute Dei, purgante ſub vnda
Fit nouus, & veteris delens contagia culpæ,
Placato pietate Deo iuratus adhæret,
Dum ſibi promiſſi reſeretur ianua cœli.
Hæc illa eſt ſacra militiæ iam teſſera noſtræ,
Hoc ſignum, quo ſe ſemper pia turba, ducemq́,
Læta ſequens Chriſtum, populis ſecreuit ab illis,
Qui ſtatuas, lucos, & numina vana colentes,
Mergere ſaluifico nunquam ſe fonte ſolebant.

MAGI. *Hæc quoq́, Chriſte Magi tibi munera luce tulerũt,*
Ex oriente procul lumen ſtellamq́, ſecuti
Inſolitam. quid tam longis veniſtis ab oris?
Cœleſti ſine verbo olim ſine lumine gentes?
Affectu in Solyma tanto quem quæritis vrbe?
Fallor an æterni bonitas æterna parentis
Non ſolum Iſacidas, dilectam ante omnia gentem,
Ad ſua dona vocat, mirum quoq́, Perſia lumen
Aſpicit, & totum paulatim Eccleſia mundum
Occupat. Ebrei poſt funditus eruta templi
Marmora, Chriſtus erit cunctis habitabile templum,
Nocte dieq́, patens diuerſi in partibus orbis.

Hoc

Hoc & Achæmenij Nabathæaq3 regna, nigriq3
Aethyopes Indiq3 petent. hoc Bœtis & ardens
Taprobane, arctoo rugosaq3 frigore tellus,
Et Tanais geminoq3 polo plaga subdita viset,
Quisq3 sua regione colens tua numina Christe.
Nos etiam Iapeti sæuum & miserabile vulgus,
Dæmonijs vmbrisq3 sacrum, sub splendida Semi
Signa vocat: nos sub tenebris & nocte rebelles
Primus adit, pacemq3 offert, mitissimus hosti
Miranda bonitate Deus, cum tanta refulsit
Gratia; quid fuimus miseri? placauimus iram
Quo merito, qua mente tuam? pater optime rerum
Gratuito tu tanta offers mortalibus ægris
Indicium indicijq3 fidem mentemq3 sequendi
Suppeditans, animumq3 Mago dux præuius addens,
Sancta salutiferæ pandis compendia vitæ.
Nec minus & bello & studijs populosq3 regendi
Arte Magos tunc illustres, rerumq3 peritos
Gestarum; stellisq3 simul cœloq3 vacantes;
Credibile est Daniele tuos legisse libellos
Fatidicos; animoq3 dies vidisse peractos
Queis momenta fere Christi nascentis adumbras.
Hunc illi inquirunt, hunc coram ante omnia regem
Cernere sidereo pleni nituntur amore.
Septima iam decies se plenis Hebdomas annis
Scilicet implerat, natiq3 insignia Christi
(Ipse etenim socium sese quærentibus addit)
Lucebant longo cœli præeuntia tractu.
Illi igitur, diuina vocant quo signa sequuntur,

Longum

Longum iter ingreſſi: non illos terret aquarum
Fluctibus Euphrates, Arabum nec inhoſpita tecta,
Nec venti, quibus horribiles agitantur arenæ.
Non mora, non requies, Iordanis flumina donec
Aſpiciant, Solymoque pedes in limine ſiſtant.
O pudor, & noſtri ſcelerata ignauia ſecli,
Heu vicina etiam quam lentè templa ſubimus,
Frigida quam pietas, quam vitæ cura perennis
Exigua eſt? en regna Magi Nabathæa relinquunt,
Ardenteſque animis, tot milia ſponte peragrant,
Vt præeunte ſacro vatum ceu lumine, verbo,
Lux vbi ſit mundi videant: ergo atria magnæ
Celſa petunt Solymæ primum; deceperat illos
Religio ſplendorque loci, templumque vetuſtum.
Sed ſubito hic illis mirandum euanuit aſtrum,
Et tenebras præter tanta nil cernitur vrbe.
Diſcite ab hoſpitibus Solymæi diſcite ciues
Quærere ſpem generis veſtri, quæ incognita vobis
Ante pedes, res mira, iacet. te paruule IESV
Præſentem Iudæa omnis, pars neſcia plane
Contemnit; pars extremè ſi nouerit, odit:
Abſentem abſentes norunt, ſtellamque ſecuti
Sollicitè tua tecta Magi ſedeſque requirunt,
Miranturque ſacræ ignotum te naſcier vrbi.
Sed ratio niſi cœleſti ſit fulgida luce,
Nil videt, & Chriſtum in celſis non inuenit aulis.
Bethla magis adeunda fuit, pauperrima Bethla
Hic iterum ſtella ætherei pulcherrima verbi
Emicat; hic redeunt diuina oracula vatum:

Hic

Hic panis, domus, ætherei sese aurea pandit,
Esurientem animam cœlesti robore firmans:
Hic stellarum opifex, stella duce, cerneris infans
Exiguus, sed qui totum complecteris orbem.
Illi igitur prono te vultu & supplice lingua
Læti adeunt, lætaque vnum te voce salutant.
Interea trini memores, quem trina fatentur
Munera, mirificè tibi conuenientia soli.
Thus domino: regique aurum: myrrhamque sepulto
Nam tribuunt: precibusq; pijs; quas thuris odores:
Eximiaq; fide; fuluum quam denotat aurum:
Conditosque simul stacte tolerando labores;
Quæsitum inueniunt per multa obstacula Christum,
Inuentumque colunt hilares; scrutantur ibidem
E sanctis permulta viris, responsaque certa
Accipiunt, primi de labe parentis Adami,
De seruatoris persona & munere Christi,
Et de perpetuæ causa meritoque salutis.
Mox alia rediere via, non scilicet illos
Vera fides iter antiquum tentare sinebat.
Iamque domo incolumes, Christo comitante, recepti,
Omnia diuulgant populis Orientis, & ipsi
Vidimus aiebant puerum, dedimusque iacenti
Oscula, Saraidum vates, quem patribus istis
Prædixere locis, diuturni vincla ferentes
Exilij. simul ille Deus, tibi maxime Cyre
Antiquo regum non plane incognitus æuo.
Hinc nobis quoque certa salus, hinc vita petenda,
Hinc nobis etiam cœli se limina pandunt.

His celer attonitus dictis exultat Orontes,
Spumiferis Eulæus ouat rapidissimus vndis,
Egredatur ripas Tigris, lateq3 Choaspes
Funditur, & socios coniungunt omnia plausus.
Hi celebres fidei fructus, hæc aurea verè
Et cunctis potiora alijs sunt munera, summo
Chara Deo, pueroq3 ipsi gratissima Christo.
Vos tamen ô reges quêis publica cura per orbem
Est populi commissa Dei, qui munere cœli
Maiores hic diuitias & regna tenetis,
Vos etiam Christo fuluum dare conuenit aurum,
Egregios nutrire viros, qui templa scholasq3
Erudiant, dare doctiloquis sua præmia Musis.
Vos opibus, cura, bellis, factisq3 togatis
Nil aliud spectare decet, quam commoda plebis
Christicolæ, sacrasq3 Dei super omnia laudes
Asserere, aduersas illi depellere gentes.
Huncne aliud spectasse putas? qui certa Sabæis,
Quicunq3 ille fuit, confinxit nomina: primus
Melchior est, rex illustris, sapientia cuius
Et pietas, laudumq3 nitor, bonitasq3 paterna,
In Christumq3 fides, sine quo sunt cuncta tenebræ,
Et debent totum benefacta nitere per orbem.
Baltasarus dux militiæ venit alter ab illo,
Magno animo, validaq3 manu, gladioq3 micante
Pro Christo pia bella gerens, arisq3 focisq3,
Vt sacra pace fruens Ecclesia floreat inter
Prælia, doctrinamq3 suam tranquilla propaget.
Tertius est Caspar, Christo qui in pace fideli

Consi-

Consilio, curis, calamoq; & voce diserta
Seruit, & exortas nouit componere lites.
Sic aulas, ipsos reges, regumq; ministros
Christo uni seruire decet, gentiq; piorum.
Immemor officij si rex tamen impius illam
Negligat, Herodes qualis proceresq; videntur,
Tum non speratos illi Deus ipse patronos
Excitat, auxiliumq; alijs accersit ab oris.
Sic Iosephe tibi, matri sic ipse relictæ
Prospicit, ille Magos longè ex oriente profectos
Munera ferre tibi, tibi ferre viatica iussit,
Exilium cum matre tibi nam instare sciebat.
Vos quoq; Niliacis non ille reliquit in oris,
Sed tectum hospitiumq; dedit, cum sanguine donec
Funderet, infernos animam rex dirus in ignes,
Qui prius innocuos matrum de pectore raptos
Iusserat infantes immani strage necari,
Vt tanto in numero stirps regia cæsa periret.
Sed fugis è patrijs cur ô puer inclyte terris?
Exilio cur Christe domos, & limina mutas?
Nec potius dextra occidis victrice Tyrannum?
Hoc placuit puer alme tibi, tu pelleris exul,
Vt miseros nos admoneas, de crimine primi
Exilioq; patris, paradisi ex sede fugati,
Nos & in hoc ægros mundo extorresq; vagantes
Restituas patriæ tandem, cœloq; reponas.
Lux Eobane eadem primos tibi præbuit ortus, Eobanus
Eximiasq; dedit fundendo in carmine vires, Hessus
Psalmographiq; Lyram vatis, quam sumere primus
Ausus

Ausus es, & Latijs distinctam impellere neruis,
Nullius pede trita prius vestigia ponens.
Quæ plures nunc ingressi, tua cœpta tuosque
Extenuant culpantque ingrata voce labores,
Extolluntque suos; quos nec reprendere nostrum est,
Si meriti primis non eripiantur honores.
Incrementa nouæ accedunt, quis nesciat? arti
Sæpius: inuentisque aliquid mox adijcit autor
Qui sequitur: neque enim solus videt omnia primo
Magnum opus aggrediens, exacteue omnia librat.
An tibi, quod solido imponis sua culmina tecto,
Nullus erit, qui totius fundamina molis
Iecit, vt inniti tutò illis cætera possent?
An fas est ideo, quod sis formosior, ægros
Iam senio & canos probris vexare parentes?
Quis scit an aduenies ætas tua cuncta probarit,
Quæ tu tanta putas? quin forsitan acrior olim
Zoilus insurget, rabidæque infamia linguæ.
Qui quæcunque facit probet omnibus omnia; toto
Nullus in orbe fuit; quare meliora quid optem
Mens mea? cur te adeo terrent vestigia tanti
Nominis? ánne tuis olim contingere fastis
Solis posse putas, nulli quod contigit vnquam?
Quin ferimus, quæ maiores fors ferre coëgit
Præmia: nec lucrum nec ventum propter inanem
Hæc agimus. sed nec turpis conuitia linguæ
Proposito auertent: studio virtutis omisso
Inuidiam placare nefas. mea perge Camœna,
Et Christo tua cœpta probans nihil amplius opta.

Hacte-

Hactenus exorsi mensem, cui nomina Ianus
Indidit, optato celebrauimus omine IESVM
Luciferum, stellamque olim de stirpe Iacobi
Quam vates oriturum orbi cecinere vetusti.
Nunc etiam rutili spacioſa volumina cœli
Signaque spectemus solitos seruantia motus.
Ergo vbi se vitreas merget sol pronus in vndas,
Conspiciendus adest, auro gemmisque refulgens
Et leporem pede conculcans, armatus Orion.
Sidera qui claro latè fulgentia cœlo
Clarior exuperat, radijs & luce serena.
Nominis hæc causa est, princeps Bœotus Orion
Inclyta stelliferi præcepta secutus Atlantis,
Deditus astrorum studijs fuit: ille labores
Solis, & obseruans nascentis cornua lunæ,
Distinxit dubium certis rationibus annum.
Munus id vt grata seruaret Græcia mente
Nomine tam pulchrum signauit Orionis astrum.
Sic dicti, longas anni quod prouidus horas,
Annorumque dies solerti mente notasset:
Atque ortu simul ille suo, lapsuque quod anni
Tempora digereret? namque obscuratus Orion
Vicini radijs Phœbi, ver inchoat: inde
Rursus vbi emergit, celeri pede labitur æstas,
Mane sed hesperijs quando se condidit vndis,
Incipiunt hyemisque niues, ventique sonori.
Nunc præsepe etiam, geminique oriuntur asselli
Quis locum in cœlo est asinis? præsepe quid astra
Assimulare putem? sed & hæc præsepia cunas

Christe tuas referunt, tibi quæ rex inclyte regum,
Cætera turba domos sæuo dum murmure claudit,
In stabulo molleſq; toros & strata dederunt.
Hæc illa eſt addicta tuis Eccleſia ſignis,
Aſpectu contemta quidem atque exoſa Tyrannis.
Dum tamen hoſpitium ſummo dat nobile Chriſto:
Hoc ipſum præſepe polo lucentibus aſtris
Clarius eſt, auroq; procul fulgentia Romæ
Obſcuratq; ſuo Solymorum templa nitore:
Iamdudum quibus exceſſit tam nobilis infans:
Qui non diuitias ſpectat Phrygiasq; columnas,
Sed fidas humilesq; preces, contritaq; corda.
Hæc vbi ſunt, ibi vel Chriſtum præſepia cœlant:
Hæc vbi ſunt ibi perpetuas Eccleſia ſedes
Obtinet, & regum pompas atq; atria ridet,
Donec & in ſummi migret palatia cœli.
Clarior aſtrifero lucentibus æthere Phatnis.
Namq; illæ quæ fœno olim viliq; rigebant
Stramine, nunc inter cœli aurea ſidera fulgent:
Quin etiam primi fulſere ab origine mundi,
Ingratiq; animi rigidiq; opprobria cordis
Fudêre humano generi: ſimul inſtat aſellus,
Non brutum vſq; adeo pecus eſt, non fuſte domandũ
Perpetuo: videt hoc vates Bileamus, vt audit
Fari aſinum, viſo aligero, & ſecedere noto
Tramite, vt exertus ſeſſori parceret enſis.
Sentit idem Chriſtus, vaſtum qui ſpretus in orbem
Dum venit, ad præſepe aſini cum matre tenella
Confugit, extremo nimbis horrente decembri.

Bos

Bos asinusq; Deum qua possunt voce salutant,
Afflatuq; fouent; totum maledicta per orbem
Quem lacerant illum promtus comitatur asellus
Quando Paratonios iussus migraret in agros,
Herodis rabiem fugiens; puerumq; trementem
Gestat, & incolumem peregrino in limine sistit.
Quid tibi Zachariæ memorabo oracula vatis,
Iamdudum eximios Christi testata triumphos,
Cum Solymam populi miris in plausibus vrbem
Terga premens asini ingreditur, templumq; superbũ.
Vile pecus, Christoq; tamen seruire paratum,
Hisq; ministerijs summo iam nobile cœlo
Emicat, officiumq; suum gratosq; labores
Testatur. fastumq; hominum & certantia ferro
Pectora, quos etiam pietate animalia vincunt
Conspuit, & pœnas qua fas est voce minatur.
Prima nocte tibi simul è regione sub vndas
Aurea Dictææ descendit stella coronæ.
Quæ mihi non Ariadna tuos renouabit honores;
Sed meritum bone Christe tuum, summosq; dolores,
Gratuito quibus occlusi mihi limina cœli
Pandis, & extremæ constanti ad tempora mortis
Victricem imponis palmarum è fronde coronam.
Nunc etiã Engonasis summo caput æquore tingit,
Quo robur mihi Simsonis, gestusq; precantis
Exprimitur; qui victricis de verbere malæ
Impetrat, vt saliente sitim restinguere riuo
Possit, & exhaustas recreare in corpore vires.
Sed Simson mihi verus erit meæ gloria Christus.

Præsidiumque meum, qui tinctos cæde Tyrannos
Verbo vno superare potest: quique immemor iræ
AEternam poterit morienti reddere vitam.
Quis superare huius Simsonis robora possit?
Tertia post Nonas Isidoro sacra refertur,
Qui cœtus hominum vitans deserta petiuit
Auia, sic rerum summo seruire parenti
Insolita ratione volens: sed dignior illo
Excellens Isidorus erit, facundia cuius
Et labor ac pietas in toto clarior orbe est.
Hispalis Herculeis, iam dicta Sibylla, metis
Adiacet, oceani properat qua Bœtis in vndas.
Hanc vrbem & monitis & vita labe carente
Erudijt sacer antistes, quin arbiter idem
Quarta Toletanam Synodus cum viserit vrbem
Præfuit, & sacras Christi spectantia laudes
Plurima sanciuit, veræ grauitatis honore
Magnus, & in reliqua summus pietate corona.
Illius ingenium doctis quoq; nobile scriptis
Arguitur, nostro non plane incognita seclo
Quæ remanent, doctisq; viris accepta leguntur.
Lux eadem funesta tuo clarissime patri
Ioannes Alberte fuit. Megalepolis ante
Quem coluit: tu defuncto cognominis illi,
Imperij patrias qui nunc moderaris habenas,
Viue diu, tibi, quos patri mors abstulit annos,
Accedant; nostro ô princeps doctissime seclo
Viue diu, famamq; tuis maioribus auge,
Varniadumq; scholas animam quæ ducere primum

Præsi-

Præsidio cœpere tuo, miti assere vultu:
Quæq; tuo in gremio paulatim crescere cœpit,
Nunc quoq; te placidum videat mea Musa patronum.
Subq; tuo, dum fata volunt, me viuere cœlo,
A patria regione procul gratisq; meorum
Sedibus; ipse pater mihi sis, & rebus in arctis
Perfugium, tenero nobis vt cognitus æuo es.
Sic potero lætus quemuis efferre laborem;
Sic potero lætus noctes vigilare serenas;
Sollicitus, dictis quibus & quo carmine demum
Perficiam tibi cœpta; tuasq; ad sidera laudes
Pro meritis, rerumq; graui pro pondere tollam.
Postera succedens fixum sibi nomen Erardi Erardus.
Vendicat, is sacro te mersit Odylia fonte,
Quo visum tibi restituit, sine luminis vsu
Cum prognata fores: Boëros quin strenuus idem
Et veteres Rheni populos pietatis amore
Imbuit, & sancta cœli atria voce recluſit.
Proximus hunc sequitur quem sancte Hieronyme Paulus
Paulus Eremites, sectæ primarius auctor, (laudas Eremita.
Namq; vbi sub Decio varias Ecclesia curas
Innumeris cruciata modis oppressaq; ferret;
Hic timidus, fugiens mala, pertæsusq; laborum,
Syluarum spelæa feris habitata petiuit.
Illi palma cibos, sitienti præbuit hauſtum
Fonticulus, vestes alta de fronde petebat.
Contentus modico, reliquæ sic tempora vitæ
Consumsit, multasq; preces & somnia iactans,
Ad sua finitimas vertit deliria gentes.

Exemplo commota tuo, proh quanta caterua
Vsque adeo nouitatis amans, te Paule secuta est.
Scilicet æruminas miseræque pericula vitæ,
Et varias secum quas fert Respublica curas,
Connubijque graues nollent cum ferre labores:
Sic mala vitarunt miseri commercia mundi,
Credentes sanctum vitæ hoc genus esse, Deumque
Propitium, cœlumque ipsis alijsque mereri.
Ex hoc erumpunt Monachorum examina ludo,
Qui similes fucis alieno parta labore
Ignaui absumunt: & inania pondera terræ
Tonsura fatuos, funisque ligamine fures
Supplicio addictos referunt, ventrique vacantes
Dum stolidi mundum fugiunt, immunda sequuntur.
Multi maiorem vera te laude putarent
Paule, sub obscura, si nunquam valle moratus
In statione tua constans fortisq; fuisses,
Quod DEVS & natura iubet legesq; requirunt.
Non Deus in sylus homines vult more ferarum
Desertisq; locis certa sine sede vagari:
Sed magno potius coniunctos viuere cœtu,
Inter se vera quo de pietate doceri
Vnanimesq; DEVM possint celebrare labore:
Hi potius duram dicuntur degere vitam,
Qui vigilant, aliosq; docent, spretoq; labore
Non etiam duræ fugiunt discrimina mortis.
Dum prosint alijs. hæc gloria vera putanda est.
Non mutum, surdumq; antro, siluisq; latere,
Insolitoq; cibo, monstrosis vestibus vti,

Queis condas tumidam distenti abdominis aluum.
An stolide rasum, caput, insuetosque cucullos,
An siluas, aut antra putas tam magna mereri
Præmia? quæ Christi precioso sanguine tantum
Sunt reparata pijs: merces ne ex munere vobis
Hoc facienda fuit? procul hinc discedite fratres
Lucifugi, raso sperantes vertice cœlum.
Hic vbi transierit Capricorno Phœbus abacto — Sol in Aquarium.
Iam Ganymedeis sese perfundere lymphis
Gaudet, & inuersum conturbat Aquarius annum:
Et breuis ante dies tota iam longior hora est.
Quid puer hic? quid nectareis notet hydria lymphis
Si me forte roges: non te Ganymedis honores
Percensere velim, non ficti nectaris haustus:
Sed reputare animo æterni miracula Christi,
Fœdera coniugij quibus olim hoc mense probauit,
Ornauitque adeo, & rebus solamen in arctis
Proposuit, tenuis sponsi conuiuia vino
Exhilarans, tristesque metus in gaudia vertens.
Felix coniugium, prædulcis amabile signum
Fœderis adiuncta est quo sponso Ecclesia Christo.
Nam veluti socia thalamorum lege ligatos
Mutuus & sincerus amor, qui nectaris haustu
Dulcior est, & certa fides coniungit, vt vna
Participes sint lætitiæ pariterque dolorum:
Caraque producant genialis pignora lecti:
Et sibi condonent inter se plurima: seque
Pectore defendant fido: sic mutuus ardor
Te quoque coniungit felix Ecclesia Christo

Ceu ſponſo; qui morte ſua, noua munera vitæ
Dum reparat, veri pignus tibi monſtrat amoris;
Hinc vos vna fides, & amor vos copulat vnus,
Te ſolam dum Chriſtus amat, ſolumq; viciſſim
Tu Chriſtum, ſpretis alijs veneraris & ardes.
Hic tibi morte ſua vitam, vitæq; perennis
Gaudia, conſorti tanquam ſociæq; bonorum,
Largiter impertit: miſcet quoq; triſtia lætis,
Oblita vt mundi cœlum ſolummodo ſpectes.
Hunc tu iterum ſubmiſſa colis, confidis & vni,
Et mala quæ te cunq; premunt, audacter in ipſum
Reijcis, & ſponſi ſentis adiuta fauorem.
Tu quoq; per verbum ſacri & baptiſmatis vndas
Pignora, cum cara producis coniuge: vera
Quæ mentis pietate Deum venerentur, & olim
Gaudia poſſideant patrij dulciſſima regni.
Te quoq; dextra tui ſaluam fortiſſima ſponſi
Protegit, & fert mitis opem, dum tu quoq; grato
Pectore ſiderei deuincere coniugis hoſtes
Niteris, & pura te relligione tueri.
Et licet interdum delicto aut labe noteris;
Non minus ille tamen te diligit, & tibi mitis
Omnia condonat veteris veſtigia culpæ,
Innocuamq; ſimul proprio te ſanguine reddit.
Hæc ſanctum tibi coniugium myſteria pandit.
I nunc illicitos & vitæ cælibis æſtus
Legitimo præfer thalamo, ſua fœdera Chriſtus
Pingere quo voluit, cui nobilis affuit hoſpes:
Prima vbi ſe Dominum faſſus, miracula cœpit,

Subſi-

Subsidioq; fuit tenui amplo munere sponso.
Munere lætifico virtutum exordia pandens.
Attamen in domibus stipulis & arundine tectis,
(Denotat hoc Canæ deductum ab origine nomen)
Sacra celebrantur socij conuiuia lecti,
Pago equidem misero , dum vis furit effera venti
Fortius, & varijs quassatur arundo procellis.
Nunc quoq; consortes thalami tristissima sæpe
Damna premunt , vrgetq; adeo crudelis egestas.
Deficiunt hic vina cadis, ibi dira minantur
Agmina morborum pueris inimica tenellis :
Nec raro interea nunc hinc mox inde vagandum est :
Iam toleranda fames , iam sæua pericula vitæ :
His tamen auxiliaris adest , mitisque patronus
Aeterno genitore satus , qui pocula puræ
In vinum conuertit aquæ : & quo largior vnda
Tristitiæ fuit ; hoc vini maiora rependit
Gaudia, lætitiamq; suis. hic flamine sancto
Suppeditat vires , tantos mens ægra dolores
Vt tolerare potens , cœlesti robore possit.
Mox etiam curis miserisq; laboribus æui
Exemtam thalamis sponsam cœlestibus infert :
Nectare vbi vero,& nunquam cessante iuuenta
Complexuq; sui sponsi sine fine fruetur,
Spondet id ætherei dius tibi nectaris haustus,
Spondet id astrifera tibi visus aquarius vrna.
Anteit adiunctas Iani qui lucifer Idus Maxæmyli
Lethalis proauo esse tuo, pulcherrime regum anus Imp.
Rex, regumq; pater Maxæmyliane , notatur,

Eximio, eximiæ famam cui laudis adepto,
Dilectoq; Deo, & patriæ, florente senecta
Extincto, ad rapidum noua busta Neapolis Istrum
Totius imperij lacrymis perfusa locauit.
Tertius à proauo, tu nunc cognominis illi
E cœlo data sceptra tenes, ter maximus orbis
Arbiter, Augustusq; parens, ad publica natus
Commoda, quæ ingenti regnorum mole laborant;
Procuras patrio affectu, & sapientibus ausis.
Te nihil in toto magis exoptabile mundo
Nil maius meliusue vident clarissima solis
Lumina. magne pater patriæ, spes vnica secli,
Viue diu, fasceſq; tuos, & sceptra tuorum
Turca simul, Moscusq; ferox, & Parthus adorent,
Tu modo perge tuum claris extendere factis
Nomen, & immensum comple virtutibus orbem,
Sideribusq; tuis sero te laudibus infer.
Participes Hilarij sacræ sunt nominis Idus
Qui patribus quondam mundi tuba dictus auitis,
Gallorum lux magna fuit. nam Pictonas ille,
Qua circum oceani scopulos Aquitania stringit;
De vera pietate docens, vitaq; beata,
Sæpe Deo plena cecinit præconia voce;
Carminibusq; pijs Ligerim demulsit amœnum.
Hostibus hic idem Christi implacabilis hostis
Restitit, & puros sacris in ouilibus agnos
Protexit, clauaq; lupos custode repressit.
Inprimis tamen infamem quia cæpit Arium
Arcere, atq; illi rabidos euellere dentes,

Inno-

Innocuos ne more lupi discerperet agnos:
In Phrygias illum pepulit Constantius oras,
Exul vbi non tristitia est consumtus inerti,
Sed vigil insidias hostis fraudesq; retexit,
Constantisq; animi, & linguæ monumenta diserta
Edidit, ad seros etiam mansura nepotes.
Quin etiam Hymnorum diuino carmine primus
In laudes animosa Dei sua plectra mouebat,
Antistes vatesq; bonus. qui sede receptus
Antiqua, patriæq; suæ cum redditus esset:
Cum nata vxorem postquam tumulasset, & ipse est
Hac moriendo die vitæ immortalis honores
Nactus apud superos, cum Christi à funere quartum
Se seclum visis trepidaret claudere metis.
Sextus ab vndecima pulsa qui nocte redibit
Lucifer, ætherei Antoni te intulit oris, ANTONIVS.
Eximia pietate senem. te regia Nili
Vrbs genuit, magnis opibus, luxuq; superba.
Quem vitare iubens, te, sobrius ipse, profanæ
Subducis turbæ, & fastus contemtor inanis,
Ipse facis quæcunque doces, & paupere victu
Contentus, modicaq; casa, ludibria mundi
Spernis opes, Satanæq; artes, carnisque dolosæ
Insidias precibus durisque laboribus arces.
Non te blanda Venus, faciem mentita, fefellit,
Nulla voluptatum species; somnique cibique
Parcus eras; summoque Deum feruore colebas.
Scilicet in duris sic se patientia rebus
Magnanima exercens, casus armabat in omnes,

Forti-

Fortius vt reliquos posset perferre labores,
Libera quos semper Christi confessio secum
Attrahit, & cœpto multos à tramite vertit.
Sic olim teneris miles se exercet ab annis,
Vt tolerare famem, contemnere frigus & æstum,
Et vitare ictus plagasque auertere possit:
Ludicra mox alijs linquens certamina, prodit
Cum patriæ sincerus amor, pietasque requirunt,
Primus & aduersum, iam nunc animosior, hostem
Aggreditur, vincitque; fuga sibi consulit ille;
Instat hic, & dextra statuit victrice trophæum:
Non aliter pietate senex venerandus & annis
Robora collegit: se exercuit, vrbe relicta:
Redditus vt curis aptus grauioribus esset.
Non latebras sibi perpetuas, non otia quærens.
Vrbis Alexandri nam postquam templa relinquens
Pelleris Athanasi: solis non amplius antris
Ille latet; sed quid longo cognouerit vsu
Re probat, & caro pestem defendit ouili,
Serpere paulatim tacito quæ cœperat æstu,
Ariana cohors dum toxica miscet, & ignem
Ventilat, vt læsos contagio perderet agnos.
Illius inflauit nec tanta superbia mentem
Vt reliquis sanctum sese magis esse putaret,
Damnaretque alios, non abdita claustra secutos.
Quin neque ruricolis se prætulit ille; sed omnes
Esse pari similes sibi conditione ferebat,
Non ipsum, vt Monachi, cœlo se laudibus æquans.
Plebs Patauina aliũ templo dignata superbo est,

Quem

Quem, Tagus æquoreis vbi iungitur aureus vndis,
Vrbs genuit: nunc Euganeis ceu numen in oris
Ille præest, vbi marmoreo post fata sepulchro
Conditur, afflictæque vrbis tutela putatur.
Sed melius Christo tanti tribuentur honores,
Quem vera pietate colens & fortibus armis
Theodosius, belli fulmen, Christumque colentis
Perfugium populi, vitæ melioris adeptus
Gaudia, bissenì superans confinia lustri,
Insubriæ Lambro ferrum tingentis in vrbe,
Hac luce occubuit, cœlo carissimus heros.
Scilicet hunc propter fusis è monte procellis
Obruit aduersas Aquilo, sine sanguine, turmas:
Hunc propter densas, subiti vis turbinis, hastas
Vertit in auctores, laterique infixit aperto.
Sic pereat, quicunque tuæ Christe optime genti
Bella mouet: talemq; sibi te sentiat hostem
Turca ferox, rabieq; furens & cæde suorum,
Littoreasq; implens Moscus terroribus vrbes.
Heu quanto melior, quanto clementior illis
Septemuir Fridericus erat, qui primus ad Albim,
Quas abigunt illi & notis à sedibus arcent,
Leucoreis olim tribuit sua præmia Musis.
Qui claros pietate patres; quos protinus illi
Ensibus & telis peterent; te diue Luthere,
Teutoniæq; decus summum, diuine Melanthon,
Te coluit: portasq; tibi bone Christe recluſit,
Doctoresq; tuos, te præside, totius orbis
Insidias contra & fremitus defendit inanes.

Fridericus Elector.

Theo-

Theodosio non inferior. vitalibus illum
Lux hodierna auris, tam clari conscia partus
Edidit; & patriæ missos ad sidera plausus,
Saxoniæq; preces pro tali infante profusas
Audijt, immensoq; orientia iubila cœlo.
Hunc ipsum imperij proceres, cum grandior annis
Iam foret, vnanimes augusta ad sceptra vocarunt.
Ast ille ætatis ratione & viribus ægris
Vix veniam inueniens, sublimi cessit honori,
Hoc onus esse tuo Maxæmyliane nepoti
Aptius affirmans, florentibus integer annis
Qui foret, & regni posset perferre labores.
Assensere seni iuuenes, sic Carolus ille
Felici auspicio sceptris decoratus auitis,
Maiestate fuit toti mirabilis orbi,
Nec Fridericus erat neglecto obscurus honore.
Nona sequens decimã, geminas celebrare sorores
Maria & Martha. *Te Mariam Marthamq; iubet. sed clarior harum*
Gloria diuinis lucens comprensa libellis,
Verbosos nos esse vetat. par attamen illud
Nobile sanctarum plane hic reticere sororum
Turpe puto. saluete igitur saluete sorores
Eximiæ. vos Sionia cum pellitur vrbe
Hospes adit Christus: vos illum fronte serena
Excipitis, tantoq; operas præstatis amico
Certatim, qua Bethanes se culmina tollunt.
Hospitium iam mitte tuum iactare Sarepta
Mauis enim in toto nihil hoc est hospite mundo,
Nil melius: tanto celebres vos estis honore

Illustres

Illustres animæ, Solymi sua lumina Christo
Claudebant: faciles vos illi panditis ædes,
Promto alacres animo. inprimis sed Martha fideli
Læta ministerio, diuinoq; hospite læta
Exultat, totaq; domo discurrit anhela;
Nescia, quo gestu ardentem declaret amorem.
Interea tranquilla soror dare corda docenti
Gaudet, vbi insolitis succendi pectora flammis
Senserat; hanc Christus tanquam meliora secutam
Laudat, & hoc vnum dicit solumq; necesse est;
Intentis animis fidoq; vrgere labore.
Sermo Dei vita est hominis, nil cætera prosunt;
A vero diuersa bono, veraq; salute.
O cœlis æquanda domus, quæ nobile Christo
Præbuit hospitium, ac toties mirata loquentem est;
O superis caræ ante alias lectæq; sorores,
Quas chorus aligerum longa & fulgente caterua,
Quas Deus ipse adijt toties; quas pectore toto
Dilexit, fratrisq; obitus miseratus, acerbas
Effudit lacrymas, carum & reuocauit amicum,
Putris & exanimis quarto qui sole carebat.
Scilicet hoc vnum vt miracula cætera vincit
Omnia; sic etiam summo vos ardet amore,
Et fidei vt scintilla tuæ pia Martha nitescat
Clarius, insolitis illam tibi ventilat auris
Largus opis Christus, totiq; salutifer orbi.
Vos tamen vnanimes reduuuo fratre recepto;
Non habitare diu solitis potuistis in agris,
Sed grauior mox cura vocat, post funera Christi

Cum

Cum fratri comites longinqua per æquora vectæ
Littora Maßyliæ, & toto procul orbe remotos
Luſtraſtis Rhodani populos, in nocte iacentes.
Quos vobis cum fratre fuit reuocare voluptas
Magna, ſed aſsiduo & longo coniuncta labori.
Terreni nunc hoſpitij memor, optimus ille
Seruator mundi, & quondam cariſsimus hoſpes,
Vobis ſideribus diſtincta palatia cœli
Pandit, & hoſpitijs longè melioribus infert.

Fabianus & Sebaſt.

Hanc geminis ſacrata dies viceſima ſanctis
Subſequitur. ſocione prius Fabiane, tibi ne
Pauca canam? tu Romana puer editus vrbe
A teneris ſanctæ voluiſti aſſueſcere vitæ:
Præſulis hinc ſummi tibi nemo inuidit honores;
Ambitio niſi perfidia ſtimulante, Nouatum
Exagitans, ſe poſtponi tibi turpe putaſſet:
Non onus vſque adeo ſpectans, ſed nomen honoris.
Ille explere odium cupidus, noua dogmata fingit,
Frugibus admiſcens lolium; at tu fortiter illi,
Partibus à Chriſti vigilans, fideque repugnas,
Semen vt illæſum ſaluis adoleſceret agris.
Quin meruiſti etiam, Babyla comitante, coronam
Martyrij inſignem, Decio regnante Tyranno.
Viuus adhuc perſæpe tuis mandare ſolebas,
Sanctorum pia facta, preces, mortemque cruentam
Colligerent fido vt ſtudio, libriſque notarent:
Totus in hoc etiam, manſit dum vita, fuiſti.
O vtinam mandati huius quotacunque fuiſſet
Pars completa: ô ſi ſaltem fragmenta laboris

Reſta-

Reſtarent Fabiane tui: ſic carmine laudes
Splendidiore tuas, aliorumq; acta referrem,
Informi non illa ſitu contecta laterent.
Nūc comitem celebrabo tuum, cui plurima corpus
Tela cruentarunt, cuius me ponere nomen
Metra vetent quamuis; vitæ nihilominus ille
Scriptus ineſt libro, & ſupera regione triumphat.
Martius hunc Narbo, Romana colonia, ciuem
Inſubriæ genuit; carum ſibi Cæſar amicum
Militis officio functum, toti ipſe cohorti
Poſtmodo præfecit, virtute armiſq; decorum:
Sed Chriſti bonitate magis votiſq; piorum,
Quam vel præſidijs externo aut robore fretum.
O bellatores ſi tempora noſtra tuliſſent
Huic ſimiles, vita innocuos & pectore puro:
Non nos Moſcus atrox; Geticuſq; inuaderet hoſtis:
Non Mahometigenæ noſtras tot cladibus vrbes
Opprimerent; Chriſtiq; agerent de gente triumphū.
Nunc ſed auaricies, & opimi cura lucelli,
Non patriæ collapſa ſalus in milite regnat.
Quin patriæ plus ipſe nocet, quam incommodat hoſti;
Impietas ſic ſceptra tenet, quæ protinus ipſa
Omne genus ſcelerum & fraudum complectitur vna.
Arma iacent; languet virtus; expertia fidi
Robora conſilij: longas ad pocula noctes
Si reſidere decus; bello tum commoda pubes;
Tunc verbis animoſa ſatis, cum pectora multo
Incaluere mero: tum nil niſi ſpicula, pugnas
Ferrumq; flammasq; crepat, ſæuaſq; machæras,

Tum bene cuncta gerunt; verti cum mœnibus vrbes
Tum credas, vincique hostem victricibus armis,
Expellique solo patrio: mox omnia somnus
Arma domat: lux orta citas cito submouet iras.
Non talis meus iste fuit. qui mente animoque
Tantùm non Christi contabescebat amore:
Et pugnare manu pariter precibusque valebat:
Donec in hoc dulcem aufferret certamine palmam.
Nam videt innocuos tanta cum strage necari,
Sæpius vt tortus tortore animosior iret:
Disijcit, indignans, veterum simulacra Deorum:
Aut si supplicium quem formidare videret;
Lætus adest, reuocatque animos, & pectora firmat,
Veraque commemorans, venturæ gaudia vitæ,
Pœnarum socium sese imperterritus offert.
Aspicit hoc Cæsar, scriba patre natus in oris
Dalmatiæ; diroque odio commutat amorem.
Dilectumque prius suspendit ab arbore; miles
In quem dirigeret sæuo sua spicula ludo.
Ille autem patiens, & vitam ponere lætus,
Mille cruentatas, tergoq; & ventre sagittas
Excipit. & tandem claua mulctatus obiit.
Quis plagas numerare tuas? quis vulnera posset
Innumeras homini? certus tamen angelus illas
Et vidit, numerumque tenet; non sanguinis vllâ
Gutta tibi periit, lacrymæ cecidere nec vllæ,
Filius ipse Dei quas non bene norit, vt olim
Præmia pro tanto reddat tibi certa dolore;
Tortoresque tuos æterno torqueat æuo.

Ossa tuumque caput lacerum, contusaque membra,
Condita sunt, vbi iam portæ vicina Capenæ
Templa sacrata tibi, & cryptis suffossa videntur,
Quà via Campanas sese Appia tendit in oras,
Appia nobilium quondam regina viarum.
Vt vidi, obstupui, loca subterranea, latè
Concaua, queis miseri pressique tyrannide quondam
Conuenere pij tacitè, precibusque profusis,
Arcanis ibi colloquijs, sacrisque vacarunt,
Mandaruntque suos tumulis. centena quot illic
Millia lecta putas? proh quantum Roma cruoris
Innocui fudit. quantasque hoc nomine pœnas
Iudicio damnata Dei, subuersaque soluit,
Soluet & infernis iterum crucianda tenebris.
Post Idus octaua dies te nobilis Hagne, Hagnes.
Oenotrias inter celebrem laudare puellas
Læta solet. tibi post decimam, vix tertia messis
Venerat, æterna quando decorata corona es,
Præueniens animo sexum, virtutibus annos.
Pulcra quidem facie fueras, sed menta pudica
Pulcrior, ardentiq; fide, quam nulla mouebant
Munera, blanditiæ nullæ, nulliq; timores.
Non ego dicebas socios moror innuba lectos,
Nobilior mihi sponsus adest, patre natus ab æuo
AEterno, DEVS & verus de virgine vera
Natus homo, hunc præter nullos admittere sponsos
Solius vniusq; volo contenta fauore.
Illius amplexus mihi virginitatis honores
Conciliant: illius amor me crimine mundam,

Illius & cœlo dignam me basia reddunt.
Hic est diues opum variarum: hic atria cœli
Pandit, & æterno vitæ nos munere donat.
His ne ego vana proci dona aut ludibria mutem?
Dixerat. audit idem summa præfectus in vrbe
Symphronius, Christoq; sacram cum cerneret Hagnē:
Irarum furijs animo implacabilis ardet:
Abreptamq; iubet Vestæ ad penetralia duci.
Illius effusis nisi placet numina votis,
Ter venerata Deam; nisi signis oscula figat:
Iam Veneris lustra, innocuæ, mortemq; minatur.
Illa sub hæc. quid stipitibus saxisq; profanis
Me sacra ferre iubes? quid tergum inflectere ligno,
Proderit, & saxis sine mente & voce precari?
Si tua Vesta Dea est, fac ipsa loquatur, honorem
Imperet ipsa suum; proprias denunciet iras:
Sic tibi certa fides, tunc illam credere diuam
Fas erit, & cuncti faciles tua iussa sequemur.
En tacet, vt tacuit dudum, semperque tacebit,
Tu stolido vacors animo, tu ligneus ipse &
Plumbeus es, qui muta loquens, qui viuus adoras
Mortua, qui in surdo gaudes spem ponere trunco.
Infremuit præses, prius & quam vincla pararet,
Antra Suburanis Hagnen habitata puellis
Vi iubet intrare, vt casto prius orba pudore
Funderet innocuam, polluto corpore, mentem.
Angelico tamen in medijs circumdata lustris
Præsidio, inuiolata manet, iuuenesque proteruos
Vindicibus Deus irascens vlciscitur armis.

Cui

Cui casto mens casta placet, qui iura tuetur
Ipse pudicitiæ, væsanos odit amores.
Ingentem interea stipulis ardentibus ignem
Construit Aspasius, teneramq; interritus Hagnen
Injicit. erubuere illam contingere flammæ,
Diuisæq; retro fugiunt, cædisq; ministros
Carnifices turbamq; petunt. sic pœna redundat
Semper in auctores Christo qui bella minantur.
Virgo sed è medijs paulatim libera fumis,
Deficiente rogo, insoliti fulgoris honore
Emicat, æternasq; DEO persoluere grates
Incipit; vt vero nudatos militis enses
Conspicit, ipsa quibus posci sua colla sciebat:
Exultans animosa refert. quam suauis amator
Tu mihi, sis sæua licet insatiabilis ira
Tortor eris: te molliculis & aromate tinctis
Præfero læta procis, ibo obuia, conde papillis
Hunc gladium nostris, cupidè quem pectus ad imum
Læta traham, superæq; thronum regionis adibo.
Iam video quæ credebam, sperataq; cerno
Gaudia: cessando quid me remoraris ituram?
Sic ait. illi ictu sacrum caput amputat vno
Miles, & exanimem vulgi inter murmura linquit.
Virginis Ausonia tumulus monstratur in vrbe,
Illius in laudes vbi filia Constantini
A patre nomen habens, vario de marmore templum
Condidit, his etiam via Numentana quod annis,
Hoc olim Damasi signatum Epigrammate iactat.
Constantina Deum venerans, Christoq; dicata,

Sacrauit templum victricis virginis Hagnes,
Christi nomen enim celebratur sedibus istis,
Tartaream solus potuit qui vincere mortem,
Inuictum solus cœlis inferre triumphum.
Istius vt fuerat semper, dum vita maneret
Emeren- *Fida comes, præstans animis Emrentia virgo;*
tia. *Sic quoq; suprema potuit nec morte reuelli.*
Ad tumulum pia virgo sedet, fusiq; cruentos
Sanguinis auctores forti arguit ore, quod aras
Et statuas propter mutas occidere viuos
Auderent, lapidesq; homini præferre liberet.
Ergo ibi continuo volitantibus obruta saxis
Additur expirans sociæ post fata puellæ.
Nunc illas quoq; finitimis Ecclesia iungit
Vincen- *Nominibus nisi quod Martyr Vincentius illas*
tius. *Separat. eximia quem fortis Iberia stirpe*
Progenuit. Christoq; fide precibusq; sacrauit,
Temporibus Daciane tuis; tu ferreus ille es
Qui nec vulneribus poteras, nec morte piorum
Sanguineam satiare sitim. non vltimus olim
Hic tibi testis erit, quem primo ad vana Deorum
Sacra rapis, statuisq; iubes libare profanis.
Qui tamen assertor Christi cum strenuus esset,
Denegat hoc, veroq; Deo constanter adhærens,
Te truncos colere & lapides, pro numine, monstris
Te Satanæ dare thura iubet. mea gloria dicens
Christus erit, cum patre, sacro cum flamine verus
Omnipotensq; Deus. vestris vos sensibus aptos
Interea conflate Deos: date follibus auras:

Malleo-

Malleolis contusa sequax vt bractea lignum
Induat. hoc vestras assigite numen ad aras,
Quod sensu motuq; caret, quod vermibus esca est,
Quod tineis blattisq; domus. quod perdere fixum
Flamma potest: quod vel lapsu templiue ruina
Concutitur, fractumq; iacet, nec se erigit vnquam,
Aeditui nisi fida manus mutilata reponat,
Aut decoret faber ille nouis altaria diuis.
Sit similis Diis ipse suis; qui talia fingit
Aut colit; in solo mea sit fiducia Christo.
Plura locuturo, colaphos infringere iussa
Continet ora manus, iuuenes sursum atq; deorsum
Mox illum abreptum, pedibus manibusq; ligatis
Extendunt. dant membra sonum, compage soluta
Corporis, innumero venter contunditur ictu,
Costarum series nuda est, cor palpitat intus,
Viscera vibrato miles dilancinat vnco.
Ille tamen praesens animo, data vulnera ridet,
Increpat & fessos paenae cadisq; ministros
Vltro instare iubens operi. quin fortior illis
Acriter illudit: vas fictile frangitis inquit
Et luteum. nihil illa animum qui regnat in illo,
Tranquillum placidumq; mouent. discerpite corpus
Non animam violare manus non vulnera possunt.
Lectulus interea serratis asper & horrens
Dentibus, ardenti carbonum imponitur igni,
Hunc super impingi laceris Vincentius optat
Visceribus, sale conspergi prius omnia tortor
Membra iubet. sale quin prunas magis excitat ipsas,

Impingitq; virum, mica illi ſtridula crudum
Corpus arat: ſenſim deſtillat deſuper ardens
Aruina, & laceros inflammans vſtulat artus.
Attamen intrepidè, velut inſcius ille dolorum
Durat, & in pœnis adeo fit viuida virtus,
Vt tantos etiam ipſa animos tormenta timerent.
Quid teſtas tibi ſubſtratas, & triſte baratrum,
Carceris, obiectumq; feris ſine honore cadauer,
Quid pelago immerſum repetam? tu victor ab illis
Omnibus, æternos celebras in pace triumphos.
Et tibi Sionio texens è flore coronam
Aurelius patriæ conſors te pluribus ornat.
Inde velut Paulo Ionatham ſe oſtendit amicum
Conſortemq; viæ: ſæpe vt præceſſit euntem
Timotheus. *Timotheus: ſic in Faſtis quoq; proximus illum*
Anteit, & tanto non eſt indignus honore,
Nomine nec tanto indignus; puerilibus annis
Iam ſibi cum primo pietatis ſemina lacte
Inſtillata fouens, auia cum Loide, ſancta
Eunice cum matre, Dei præcepta ſecutus.
Quem Græco patre, Iudæa genitrice creatum
Paule Lycaoniæ Lyſtra tibi iungis in vrbe
Collegam: tria iam varias cum luſtra per oras
Munere Apoſtolico functus cum laude fuiſſes.
Ille tibi paret. patriaq; & matre relicta
Subſequitur. tecumq; Aſiæ quas Sangarus vrbes
Alluit. & Galatas veteres, populoſq; Cayci,
Aruaq; Dardanio luſtrat vicina Scamandro.
Inde per Aegeum, Tenedoq; Imbroq; relicta

Thrëi-

Threïciamq; Samum petitis, Rhodopeius Hebrus
Neſſus & Aemonijs Ponto quà confluit vndis,
Mox & Alexandri dictos à patre Philippos
Strimoniasque vrbes; pelagoque Echedorus aperto
Quà fluit, Emathijs & notum Halyachmona ripis
Viſitis & dominam Graiorum protinus vrbem.
Iſthmi etiam bimarem vobis penetrare Corinthum
Cura fuit: ſparſas hinc Cycladas inter, & æſtus
Myrthoi Icarijque maris, vicina Cayſtro
Oſtia Mæandri, atque Epheſi ſperata ſubitis
Mœnia, ſidereo pleni pietatis amore,
Per vos qui totum ſeſe effundebat in orbem.
Quid quos ſuſtinuit tecum terraque marique
Commemorare opus eſt reliquos hic Paule labores,
Filius iſte tuus, ſemper tibi fidus adhæret.
Te quoque cum Romæ tua poſtmodo vincla tenerent,
Longum iter ingreditur, rebus ſolamen in arctis
Vt memori præſtet caro pietate magiſtro.
Ipſe etiam multos Paulo dictante libellos
Nunc quoque quos grati legimus, conſcribit ibidem,
Queîs docet, & varijs fratres confirmat in oris.
Hinc Epheſum repetens, fictæ cum ſacra Dianæ
Argueret, lapidum crudeliter obrutus imbre
Occubuit, cum quindecimum iam fidus in annum,
Multa monens & multa ferens ibi præco fuiſſet.
Lyſtrius hic heros, Chriſto qui digna locutus,
Quem Paulus iuuenem patrio compulſus amore
Erudijt: cui præ reliquis doctoris honeſti
Officium expoſuit. vos ô cuſtodia ſacri

Iam quibus est commissa gregis, quod epistola vobis
Verbis parua quidem, sed pondere maxima dicit,
Obseruate viri, memoriq; recondite mente,
Hæc quid sit rectum, quid turpe, quid vtile, vobis
Ordine, cœlesti spiramine plena recenset.
Nunc tua facta prius totum vulgata per orbem
O Cilicum Cydniq; decus clarissima mundi
Buccina, me tenui fas est perstingere versu.
Paule pater, tu non Paulum sed robore magno
Immensos etiam potuisti ferre labores,
Triginta sex & plures tu fortiter annos
Circumiens, cunctis Asiæ felicis in oris
Cœlestes reserare vias, ostendere Christum,
Multa pati consuetus eras, dum vita maneret.
Nunc quoq; posteritas à te ceu fonte perenni
Dependens, sua voce tua scriptisq; disertis
Ora rigat, sentitq; noua noua flumina vitæ.
O vtinam mihi cœlesti concessa fauore
Eloquij quotacunq; tui pars Paule fuisset,
Qua tu corda moues, penetralia pectoris imi
Qua tacitè miro cœli perfundis amore:
Hac & forsan ego melius tua facta referre,
Splendidius tua scripta alijs extollere possem.
Sed grates tibi perpetuas ante omnia mundi
Rector ago, quod voce tua tibi cœlitus ipse
Colligis hic tecum victuram in secula gentem,
Doctoresq; pios mittis, qui Dæmonis artes
Et vires retegant. sacri & mysteria verbi
Instaurent, pandantq; alti sacraria cœli.

Quos

Quos inter primi Paulo tribuentur honores,
Qui licet à teneris Christo se opponeret annis:
Mox tamen exemplum bonitatis amabile factus
Sidereæ, tanta liber caligine, Christum
Agnouit, damnans animos, iraſq́ priores,
Delictiſq́ rogans veniam. ſic noſtra voluntas,
Sic benefacta parum proſunt, ni cœlitus aſsit
Numinis auxilium. quo quæſo munere tandem
Qua Saulus virtute Deum ſibi fecit amicum?
Qui Solyma monitu procerum digreſſus ab vrbe
Ingens terror erat, cunctis meliora ſecutis.
Et nunc enſe minax, galea nunc ille ſuperbus,
Ipſe Damaſcenam repetit duriſsimus vrbem,
Chriſticolas in vincla petens, noua ſacra peroſus.
Hunc tamen auerſum, iamq́ in ſua damna ruentem
Suſcepit Deus, & ſupera reſpexit ab arce.
Quippe vbi iam plenuſq́ minis, iraq́ videret
Mœnia, ſeq́ neci, ſpirans immane, pararet:
Ilicet afflatus vibrati fulminis aura
Corruit actus equo, & fractis reſupinus habenis
Quaſſatuſq́ iacet, tenebris circumdatus atris.
Nec mora terrifico ſuperum domus alta fragore
Concutitur, redditq́ ſonum, mihi Saule quid vltro
Bella moues? ego ſum Ieſus te impingere calces
Quid ſtimulo iuuat incaſſum? cui talia Saulus
Ore tremens: tua iuſſa libens, dic quæſo, capeſſam.
Ille iterum, confide animo, & te mœnibus infer,
Hic mandata feres, reliquis quod oporteat annis
Te facere. at comites & qui venere ſub illo

Atto-

Attoniti audiuêre ſonum, ſed cernere quenquam
Non licuit. proſtratum ergo & ſine luce iacentem
Attollunt, ægrumq; vrbis ſub mœnia ducunt.
Tres illic ſine ſole dies, potuſq; cibiq;
Immemor, orabat tantum, quem lumine amico
Aſpexit Deus. Ananias à numine miſſus
Placato, improuiſus adeſt, multiſq; gementem
Compellat, firmatq; virum, quantique deinceps
Hunc maneant iſta pro relligione labores
Fando aperit. mox ille animo cum luce recepto,
Longè alios alio accepit cum nomine ſenſus,
Iam nouus, & multum Saulo mutatus ab illo,
Qui quondam ferroque pios vincliſque petebat,
Nunc Paulus, pius ipſe, docet: qui perdere Chriſti
Conſortes voluit, Chriſto eſt iam ſummus amicus.
Heu fauor immenſus cœli, de nocte profunda
Tam claram in lucem reprobos hoſteſque vocari.
Aſpicis vt damnet ſtudium mentemque priorem,
Nullius vt dictis fractus nulliſque periclis
Fulminet, & varias paſſim per regna per vrbes
Orator ſublimis eat, qui numinis inſtar
Verborum rerumque potens, caligine merſos
Eruat. haud veterum tradens præcepta ſophorum,
Non Samij figmenta ſenis, deliraque vatum
Somnia, Socraticis non quæ latuêre libellis.
Sed maiora docet, cœlo prolata ſereno,
Vt pater æthereus nil tale merentibus, vltro
Vnigenam dederit natum, mortalibus ægris:
Vnus pro cunctis morti qui deditus, iram

Placa-

Placaret, noſtroſque ſuo mox ſanguine lapſus
Elueret, cœlique omnes regione locaret,
Quorum in ſaluifica ſtaret fiducia Chriſto.
Huic accepta refert vni & ſoli omnia, viles
Nos animas tantum, & mortali corpore cinctas
Aſſerit, & nullos nobis aſſcribit honores.
Præterea tot in orbe fugas, tot vincla, laboreſque
Ille mari terraque tulit: non ſaxeus imber,
Non virgæ, non enſis eum deterruit vnquam
Quin Chriſto ducente, animæ quoque prodigus iret
Intrepidus, verique tenax, maiorque periclis.
Felices Aſiæ populos, felicia regna
Italiæ, quibus hunc orbis fideique magiſtrum
Fas audire fuit. fruſtra hoc Hipponis alumnus,
Fruſtra alij cupiere olim. quin nunc quoque gentes
Quas docuiſti inter, te votis omnibus vnum
Pro Mahometigena optarent audire Tyranno.
Aſsidua inuiſo conuicia dicere Chriſto
Cui placet, & ſancto terram fœdare cruore.
O infelices illo ſub principe terras,
O miſeros illic populos miſeroſque nepotes
Maiorum qui facta luunt, oracula Pauli
Qui risêre olim, quique afflixere docentem.
Quam vereor (tenues abeat tamen omen in auras)
Quam vereor, ſimiles olim vt Germania pœnas
Effugias, ſimili cum labe profana noteris.
AEternum tamen in mundo gens certa manebit,
Qua Pauli doctrina ſuum non læſa vigorem
Rettineat, certoſque ferat cum fœnore fructus.

Quos

Quos etiam diuine senex Polycarpe tulisti
Atria Smyrneis cœlestia voce recludens,
Doctrinæ custos Pauli; auditorq; fidelis
Iohannis, cuius sacris insistere cœptis
Incipiens, studio flagrans sanctoq; pioq;
Dixisti & docuisti eadem. confingere binos
Ausus in orbe Deos, pariter sæuumq; bonumq;
Marcio conuictus, tua fulmina sensit & iram,
Nomine pro Christi, sancte cum bella gerebas.
Cerdo Valentinusq; eadem sensere, furores
Quorum sacrilegos tua vox inuicta repressit.
Impauidus tandem & cano venerabilis æuo,
(Gratia pro meritis fuit hæc) ad Tibridis vndas
Iussus inire rogum ardentem, sponte obuius ibas.
Sed sanctum erubuere senem contingere flammæ,
Et ceu vela solent, spirantibus æquore ventis
Concaua curuari: sic sese inflexerat ignis
Circumdans medium. ast auro formosior ille
Splendidiorque micat. spectatur vt ignibus aurum
Sic animosa fides, aduerso maxima casu
Emicat, & crescit dubijs exercita rebus:
Sic ille in medio manet imperterritus igni
Hæc orans. DEVS *omnipotens, pater opt. Christi*
Per quem notitiamque tui, vitæque beatæ
Spem capio, Deus immensi sator optime mundi.
Quas possum toto tibi grates pectore dico,
Quod luce hac horaque ipsa me munere tanto
Dignaris, mihi martyrij quo parta corona est.
Nunc ego pars populi ætherei, de morte triumphos

Lætus

Lætus agam, viuoque animus cum corpore surget
Incorruptus & illustris, qui lumine sancti
Flaminis indutus, maculis & labe carebit.
Nunc ego grata tibi selectaque victima factus,
Ingrediar tua templa Deus, tua limina cernam,
Quod mihi iam verax, mentiri & nescius, vltro
Promisisti olim, supremi in nomine IESV
Pontificis, per quem sacro cum compare semper
Sit tibi laus, sit summus honos, sit gloria soli.
Talia dicenti fugiens cum parceret ignis,
Confossus gladio est; & riuo sanguinis, ignis
Vim domuit. natat infando consperſa cruore
Canicies, anima in cœlum sublata triumphat,
Bis decies septem à Christo tum lustra fluebant.
Nunc ille in cœlo longè fulgentior igne
Castoreo micat, occiduis qui mergitur vndis Gemini.
Mane nouo, pauciſque aquilæ post signa diebus Aquila.
Hesperijs condentur aquis. Chrysostomus ore
Nobilis aureolo, Polycarpo proximus astat.
Illum vrbs Antiochi genuit, Sophiæque dicatum Chryſoſto-
Erudijt puerum fandi celeberrimus autor mus.
Libanius, rector studiorum; hinc diuitis ille
Eloquij dono excellens, & pœnè magistro
Clarior, vsque adeo causas bene dixit, vt omnes
Redderet attonitos, hominis facundia, ciues.
Quam tamen ad Christi deinceps conuertit honores
Sacrorum incensus studio, sociumque laborum
Te Basili, ruriſque simul tecum otia nactus. Baſilius.
Vrbis vbi astrepitu liber, cœlestibus omne

Inge-

Ingenium dedit, & precibus libriſque vacabat,
A curis procul & nugis quas mundus amaret.
Nec tamen ætatem hoc totam conſumſit in antro,
Sed patriam primo, qua nil antiquius vſquam,
Erudijt monitis, & vita labe carente;
Facundo ſanctoque ſimul vere aureus ore
Creditus & dictus: totoque hæc ſpargitur orbe
Fama procul, ſacrasque etiam dimanat ad aures
Cæſaris Arcadij, qui cum iam mortuus eſſet
Nectarius, præſes ſacrorum; hunc protinus illi
Subſtituit, Romæ alterius qua Boſphorus arces
Alluit; (huc ſedem Auguſtam nam maximus ille
Tranſtulerat Conſtantinus) pugnare vocantis
Noluit imperio Chryſoſtomus, ille cathedram
Iam ſibi commiſſam plenus pietate ſideque
Scandit, & officij tanti non immemor, omnes
Pollutos Chriſtique adeo non nomine dignos
Arguit, infamique iubet deſiſtere vita.
Quos inter neque regali cum parceret aulæ:
Sacrificæque etiam peccata infamia turbæ
Tangere liberius mira grauitate ſoleret:
Illi accenſi odijs, & libertatis amore,
Doctori inſidias tendunt: benedicta maligne
Deprauant, & bella mouent: quin Cæſaris vxor
Plus ſtatuæ formæq; ſuæ quam dedita Chriſto,
His comes, irarum flammas ſermone marito
Ventilat; & iuſte vt pulſus populoq; ſuisq;
Sacrorum antiſtes poſſet quandoq; videri:
Prætextu tegit inſidias, & melle venenum,

Bis Synodum cogens, qua bis damnatus & exul
Inuito populo Scythicas est pulsus in oras.
Mox tamen exilio, sic plebe volente, solutus,
Longum iter ingrediens veteres bis pulsus ad aras
Dum redit, exilij tantos perferre viaq;
Non potuit toties, corpus mortale, labores.
Hospes in Armenijs igitur defungitur agris,
Cum mortem paulo ante suam, cum funeris horam
Prædixisset ouans, instar morientis oloris.
Magnifici exuuias tumuli dignatus honore est
Iunior, Arcadij patris notissima proles,
Theodosius, non ignarus qua fraude doloq;
Sæpe esset circumuentus sanctissimus heros.
Exequias hodierna dies celebrauit in vrbe
Constantine tua, illius palatia cœli
Cum mens incoleret dudum. Salue optime pastor
Christicoli gregis, & patrum noua gemma coronæ.
Eloquij monumenta tui fidiq; laboris
Plurima signa manent, gratis Ecclesia linguis
Quæ celebrat, rapidoq; tuum feruentius igni
Suspicit ingenium admirans, fandiq; calorem.
Nam quis te melius, te nam popularius vnquam
Quis docuit? quis liberius mala crimina vitæ,
Et magnos humilesq; pari feruore modoq;
Arguit, hæreticosq; dolos fraudesq; retexit.
Eloquij monumenta pij quis plura reliquit?
Quis meliora etiam? si spectes vtile dulci
Commixtum, & plenam cœlesti flamine mentem?
Sacrarum hic thesaurus opum precioſior auro est,

In quo quod discas, quod agas, quod denig3 vites,
Quod mireris habes, quisquis pietatis amori
Deditus es, monitis da tanti Antistitis aures.

Carolus Magnus.

Sed tua mortali facta immortalia voce
Qua ratione canam? mundi decus, optime Cæsar,
Carole Pipini magnum genus: auspice primo
Quo sincera fides & Christi gloria iussit
Germanos inter statuas abolere profanas,
Et lucos veteresq3 aras exscindere cœpit.
Iam quoq3 perpetui tibi, Saxonas inter, honores
Et laudes sine fine manent, licet acriter illos
Cladibus innumeris & crebris viceris armis.
Non belli tibi causa fuit, crudeliter illos
Seruitio vt premeres, proprijq3 potentia regni
Cresceret: hic solum Christi spectantur honores,
Quem colere atq3 alijs paulatim assuescere sacris
Saxonas, armorum auxilio bellisq3 volebas.
Hoc tabulæ fœduq3 docet, quo splendida templi
Fundamenta locas, arctoi ad flaua Visurgis
Flumina, perpetuamq3 facis cum Saxone pacem,
Aduersis tibi qui fuerat contrarius armis.
Scilicet hunc leges libertatemq3 priorem
Incolumem retinere iubes, modo pectore grato
Grates victus agat, tanto pro munere Christo,
Cui vera seruire fide iam debeat vni,
Armaq3 in aduersas illi conuertere gentes,
Paulatim vt fidei immensum lux impleat orbem.
Sed laudes recitare, tuas res dicere gestas,
Ingenij maioris opus; grauitasq3 nitorq3

Me

Me reuocat, tantisq3 iubet desistere cœptis.
Tu bello præstans, inuictus pace fuisti,
Et maiora fide tua dextra gesit, & orbem
Impleuit meritis, longæ cognomine barbæ
Te Desiderius, te Tassilo, te VVitichindus
Hunnorumq3 cohors sensit victricibus armis
Bella mouere sibi: tua munificentia cunctis
Et pietas est nota locis, Germania grato
Pectore, te cœlo quoq3 Gallia laudibus æquat,
Quin & in Ausonio tua non delebilis orbe
Gloria durabit, celsi dum machina mundi
Stabit, & æterno lucebunt sidera cœlo.
Tu quales tandem turbæ qualesq3 tenebræ
Barbariem sequerentur, eras non inscius illo
Tempore, quo studia & Musæ libriq3 silebant.
Hanc ipsam stolidis penitus depellere regnis,
Et Musas reuocare labor tibi maximus instat.
Ergo Deo & studijs præclara palatia primo
Erigis, in toto quæ nunc quoq3 splendida mundo
Læto flore vigent, populosa Lutecia sedes
Te duce Musarum facta est: Ticiniaq3 arua
Palladijs quod clara viris, legumq3 peritis,
Munus id omne tuum: tibi docta Bononia claris
Assurgit comitata viris, nam struxerat ante
Theodosius, quæ suauiloquis pius atria Musis,
Hæc tua Felsinea bonitas renouauit in vrbe,
Vt sic ingenuas precijs accenderet artes:
Quas alit & confirmat honos, incuria tollit.
Quin ipse exemplo reliquis studioq3 præibas,

Cum radio ſtellarum ortus obituſq; notando
Harmoniſq; animum varijs & voce leuares.
Te regnante iterum feſſo ſpes aurea mundo
Affulſit: pietate Deum ſtudioq; fideli
Cum coleres, hoſteſq; omnes, ceu fulmine, bellis
Reprimeres, par Dauidi, par regibus illis,
Nomen adhuc quorum & pietas laudatur in orbe.
Vnde etiam tua facta dies hodierna recenſet
Sanctorum in numero, qua tu rex optimus olim
Morte accepiſti vitæ immortalis honores,
Ad Granias tumulatus aquas, ſi corpora ſpectes:
Si mentem; in ſupera Chriſto cariſſimus aula.

Otho III. *Hac etiam occubuit florenti Otho tertius æuo,*
Filius atq; nepos geminorum magnus Othonum,
Aucupis Henrici pronepos, trinepos Vuitichindi,
Germano Latias penetrans qui milite gentes
Subdidit imperio Tyberinas ſtrenuus arces,
Exortaſq; graui cum ſeditione tumultus
Compoſuit. trepidis illum Creſcentius armis
Cæſareum inuadens titulum auguſtamq; coronam
Horruit, exſoluitq; graues pro crimine pœnas.
Illius ingenium, præſtans ſapientia, magni
Vis animi, toti dicta eſt mirabilis orbi.
Sed quem non hoſtes, non ſumma potentia, nullus
Exuperare enſis potuit; fraus vſa veneno,
Fœmineaq; dolus victorem ſuſtulit arte,
Iam patriæ illuſtres meditantem inferre triumphos.
Corpus Aquiſgranum, Rhetorum viſcera cælat
Vrbs Auguſta, Lycus præter quam labitur amnis.

Hac

Hac etiam vates præstans, noua fama Tribocis
Et Nicri decus occubuit Mœniq; Micyllus,
Post quinquaginta octauus cum surgeret annus
Præsentis secli. vlterius sunt sancta Cyrilli
Nomina, Alexandri pastor qui fidus in vrbe
Veriloquis populos dictis formauit, & oras
Sparsit in Eoas magni miracula Christi.
Illius Euphrates cœlestis flumine linguæ
Obstupuit, fassusq; tibi se cedere victum,
Tristior Assyrios Babylones alluit agros.
Hic quantum ingenio dicendiq; arte valeret,
Xanthus & arguti senserunt prata Caystri.
Quin Ephesina etiam synodus, cui præfuit ille,
Nestorium contra, quin astutissimus ipse
Nestorius sensit Christi implacabilis hostis,
Callidus insidijs & doctus nectere fraudes.
Te Mahomete etiam quibus excæcauit, & atras
Clarus ob inuectas tenebras, innotuit orbi,
Dum Christo infestis audet se opponere signis:
Quem verum cum patre Deum patriq; coæuum
Sacrilego infamis constanter pernegat ore.
Non tulit hoc feruens diuino ardore Cyrillus,
Sed toto procerum & patrum spectante senatu
Ipsius ostendit fraudes & turpe venenum:
Munijt & sacros castis in ouilibus agnos:
Ille fugæ sibi quæsiuit trepidante salutem,
Ad vulgus rude fallendum nihilominus aptus,
Nequicquam heroes cum se tentasse videret.
Sic lupus insidias tauris qui struxit opimis

Expertus rigidum, minor in certamine, cornu,
Nodoſaq; retro clava paſtoris abactus,
Præſidiiſq; canum latrantibus: ocyor Euro
Auolat, obſcuroq; iterum ſe condidit antro,
Semianimis, pellem grauiter diſcerptus & ora.
Mox tamen antiquas iterum conuerſus ad artes,
Incuſtoditis ſe victor ouilibus infert.
Sic Arabas quoq;, cum Græcis minor eſſet, inermes
Neſtorius, Mauroſq; etiam decepit, & illis
Nunc ſocius, miſer æterno conſumitur igni.

Cyrillus. *At tu chare Deo & populis, diuine Cyrille,*
Doctores inter ſummos fulgente corona
Clarus es, & mundi è cœlo deliria vides.
Doctrinam ingeniumq; tuum Græcoſq; libellos
Vnanimi miratur adhuc Eccleſia voce,
Theſaurumq; vocat gemmis auroq; priorem,
Quamuis multa tui lateant monumenta laboris
Hic vbi florentem celer Arnus diuidit vrbem.
Quæ Medicæa domus lucem quandoq; videre
Si ſinat, & meritis Chriſti cumularit ouile,
Et quantus fuerit præſtans pietate Cyrillus,
Sacrarum quàm diues opum, quo flumine linguæ,
Nunc quoque non dubio monſtrarit clarius orbi.
Hac quoq; Spinetum qua Sequana tangit, amœnus
Sequana, qui Belgas Celtarum diuidit oris,

Dagobertus. *Occubuit Dagobertus eo clariſsimus æuo*
Francorum rex, & Chriſti defenſor honoris.

S. Dionyſ. oppidum Galliæ. *Quiſquis es in Gallos noſtro qui tempore tendis,*
Cerne Dionyſio ſacram cum mœnibus ædem,

Hic

Hic ego Francorum veteres longo ordine regum
Cum ſtatuis tumulos vidi, de marmore partim
Partim Alabaſtrite exſculptos titulisq; notatos.
Hic Dagobertus opes illam qui primus in ædem
Contulit, & tantæ poſuit fundamina molis,
Coniunctaq; iacet Ludouicus filius vrna.
Quem prope Martellus, tuus & cum coniuge Bertha
Carole Magne parens Pipinus, & inclytus olim
Rex Capetus, reliquiq; cubant vetereſq; nouiq;
Francigenæ qui ſceptra domus regniq; tulerunt.
Sed multum ſtatuis bene ſcripta poëmata vatum
Quis præſtare neget? cum marmora & æra Lyſippi
Finibus anguſtis iam tunc concluſa fuiſſe
Cogitet, æternis & nunc ſubmerſa tenebris:
Sed ſacer Iſaides, magnus quæ ſcripſerat olim
Mæonides, etiam tunc ſe effudere per orbem,
Et nunc poſt regnorum obitus poſt ſecula mille
Læto flore vigent, & qui celebrantur in illis
AEternum quoq; nomen habent. hæc illa poëſis
Quæ laudes & facta Dei præclaraq; geſta
Heroum canit, & verbis ad ſidera ſurgit.
Hæc illa eſt, quæ prima ſuos ſecreuit alumnos
Sordibus à vulgi tetris: hiſq; indere nomen
Grande Poëtarum voluit, ſacroſq; libellos
Et ſophiam hos ſummo iußit tractare labore.
Illi inter homines, antiquo tempore, docti
Sunt habiti primo, & numeris verbiſq; ſonoris
Egregias complexi artes, cauſasq; latentes
Naturæ, aſtrorumq; vices, præceptaq; vitæ

Optima, barbariem ſedes mutare coactam
Extruſere procul blandi modulamine cantus.
Hinc feritas placidos paulatim aſſumere vultus
Cœpit, & inuentas mirari protinus artes
Vulgus, & agreſtes ſtuduit dediſcere mores.
Hinc leges ortæ, quas priſca ætate Solonem
Carminibus ſcripſiſſe ferunt, animoſq; feroces
Flexiſſe ad pulcrum veræ virtutis amorem.
Hinc quoq; ſacrorum veterum dependet origo,
Ad cultus laudesq; Dei quæ pectora vulgi
Alliciunt. Numa Martigenas hac arte Quirites,
Aſſuetos rigidis diuturno tempore bellis
Mollijt, aſsidue ſcriptos dum verſibus hymnos
In ſacris canit, & numeris concinnius vtens,
Vulgi etiam lepido recreat ſpectacula cantu.
Hinc etiam ornatum Rhetor, viresq; mouendi
Splendoremq; petit, poſitis & lumina verbis,
Tantus ineſt ſacræ nitor & dulcedo Camœnæ.
Illa rapit quo vult animos, deducit eoſdem
Vnde cupit: nunc inflammat virtutis amore
Et pietate homines: ſcelerum nunc dedecus auget:
Hæc mouet, hortatur, retrahit, deterret & arte
Incitat, accendens varios in pectore motus.
Quæq; facit, ſtudioſa facit, ſemperq; decori
Pro ratione humilis prono iam lumina vultu
Demittit, mox magnificis ad ſidera verbis
Erigitur, miraq; oculis res ſubijcit arte.
Ergo tibi quonam vultu diuina poëſis
Quo geſtu aſſurgam? quo te venerabor honore?

Aut

Aut quibus extollam tua maxima munera verbis?
AEthereo tu prima Deo, mortalibus oris,
Dulcia blandiloquis ceciniſti carmina linguis,
Et ſacra ſanxiſti ſuperum ſpectantia laudes
Vnde ſacerdotum, clari, te principe, vates
Nomen adhuc retinent, ſacri quod cantibus oris
Et prece ſidereum poſſint placare parentem.
Tu quod amet curetq3 homines, quod præmia iuſtis
Conſtituat, pœnaſq3 malis: quod vindice, normam
Iuſtitiæ, dextra, vaſto tueatur in orbe:
Prima rudes docuiſti homines, & gaudia cœli
Aeternum victuræ animæ, dum voce benigna
Promittis, vaſtumq3 malos detrudis in Orcum,
Deduxiſti homines ad ſanctæ munera vitæ.
Salue igitur doctrinarum pulcherrima mater,
Salue iterum, tu perpetuo ceu flore virescens
Inuento ſcriptisq3 tuis & carminis arte
Sola vetuſtatem & mortis fera ſpicula vincis.
Tu prima è ſyluis homines, antrisq3 ferarum
Extractos, faciles paulatim aſſumere mores,
Coniunctisq3 caſis vna traducere vitam
Iuſſiſti, & laudes rerum cantare parentis.
Per te præteritis quid pulcrè euenerit annis
Quid malè, poſteritas oculis velut aſpicit, & te
Reginam doctrinarum fontemq3 ſalutat.
Per te rite Deum ſapimus: pietatis honores
Sanctaq3 religio per te ſeruatur, & ipſi
Grata Deo per te canimus facimusq3, nec vnquam
Nobilitas ſplendorq3 tuus laudeſq3 peribunt.

Quin etiam summi nobis se regia cœli
Cum pandet, mixtiq; olim cœlestibus ipsis
Gaudia ducemus nullis cum obnoxia curis;
Tu longè ante alios proceres sanctumq; senatum
Incedes Tyrio, chlamydem spectabilis ostro,
Aligeramq; aciem cœli per lucida duces
Atria, te cuncti præeuntem sponte sequentur,
Carminaq; & plausus afflati numine tecum
Incipient, laudesq; canent & facta Tonantis,
Et tua vox nullis vnquam obscurabitur annis.
Ianus abit, primo, liber est, cum mense peractus.
Tu mihi dum reliquos etiam trepidusq; timensq;
Aggredior, faciles tribuas in carmina vires
Christe mei vigor ingenij rectorq; laborum.

FINIS.

CANDIDO LECTORI S.

HABES hic, lector humaniſsime, ſpecimen eorum, quæ ſuperioribus annis in honorem filij Dei & ſanctorum Eccleſiæ Doctorũ & martyrũ, non ſine magno labore & vigilijs elaborare ſum conatus. quod ideo ſeorſim in publicum emittere volui, vt docti & excellentes viri, quicq; de his ſtudijs iudicare poſſunt, ſuam cenſurã, quidq; in hoc opuſculo meo deſiderarent, liberè & candidè ad me perſcriberent; ſimulq; ſi quibus libris, aut admonitionibus, ad hæc emendanda, & ea quæ reliqua ſunt perficienda, inſtituto huic meo commodare poſſent, vt ea quoq; in parte ſua opera & conſilio mihi non deeſſent. Cum autem iniquum ſit, inde me aliquid maculæ iniuſtæq; obtrectationis immeritũ contrahere: vnde ipſe inanẽ gloriam nunquam quæſiuerim: cum item libenter & ingenuè fatear ipſe, partem hanc primam vigiliarum mearum valde tenuem puſillamq; eſſe: (nihil enim ſummi quoq; oratoris teſtimonio ſimul eſt inchoatum & perfectum) ſpero me probos & honeſtos viros omnes, huius qualiſ-

qualiſcũq; operæ meæ candidos & ſinceros exiſtimatores habiturum. præſertim cum non ignorent, ijs qui nulli labori pepercerint: nec malè penitus oſcitanterq; quod incœperunt perfecerint, veniam dari ſolere, etiamſi vt optabant, omnes rei illius numeros non implere, nec propter operis difficultatem faſtigium illi potuerint impo nere. Hac igitur lectoris æquanimitate, & inprimis Dei optimi maximi, cuius gloriæ ſeruire hos labores meos volui, clementia fretus, ſperabo optima, & feram quæcunq; erunt. Vale. Roſtochio Prid. Cal. Iulij. Anno à nato ſeruatore M. D. LXXII.

LIPSIAE
IMPRIMEBAT ANDREAS
SCHNEIDER
TYPIS VOEGELIANIS.

ANNO M. D. LXXIII.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72985132X/phys_0112



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn72985132X/phys_0333



http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn728851329/phys_0114



Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn72985132X/phys_0115



Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn72985132X/phys_0116

CANDIDO LECTORI S.

HABES hic, lector humaniſsime, ſpecimen eorum, quæ ſuperioribus annis in honorem filij Dei & ſanctorum Eccleſiæ Doctorũ & martyrũ, non ſine magno labore & vigilijs elaborare ſum conatus. quod ideo ſeorſim in publicum emittere volui, vt docti & excellentes viri, quicq; de his ſtudijs iudicare poſſunt, ſuam cenſurã, quidq; in hoc opuſculo meo deſiderarent, liberè & candidè ad me perſcriberent; ſimulq; ſi quibus libris, aut admonitionibus, ad hæc emendanda, & ea quæ reliqua ſunt perficienda, inſtituto huic meo commodare poſſent, vt ea quoq; in parte ſua opera & conſilio mihi non deeſſent. Cum autem iniquum ſit, inde me aliquid maculæ iniuſtæq; obtrectationis immeritũ contrahere: vnde ipſe inanẽ gloriam nunquam quæſiuerim: cum item libenter & ingenuè fatear ipſe, partem hanc primam vigiliarum mearum valde tenuem puſillamq; eſſe: (nihil enim ſummi quoq; oratoris teſtimonio ſimul eſt inchoatum & perfectum) ſpero me probos & honeſtos viros omnes, huius qualiſ-